SANCTI BELGI ORDINIS PRÆDICATORVM.

Collegit & recensuit eiusdem ord. F. HYACINTHVS CHOQVETIVS S.T. Doctor.

DVACI.
Anno 1618.

S. THOM. AQVIN.

B. ALBER. MAG.

S. VEDASTVS.

APVD BONOS IVRA PIETATIS.

CASTRV NOBILIACVM.

Typis B. BELLERI.

cum privilegio.

M. Bapt



Ex legato [illegible]

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. PHILIPPO

DE CAVEREL,


CELEBERRIMI COENOBII
S. VEDASTI IN NOBILIACO
APVD ATTREBATES ABBATI
Religiosissimo, ac Sapientissimo,
MONASTERIORVM EXEMPTORVM
ORD. S. BENEDICTI IN BELGIO,

VISITATORI,

BONORVM OMNIVM MÆCENATI.



SANCTORVM qui ex ord. Præd. in Belgio floruerunt nomina ac monumenta, hactenus cum illorum cineribus pene sepulta iam vero primum è tenebris eruta, nominis tui auctoritate, R.me PRÆSVL, lucem cla-





ram aſpicere geſtiunt, tuoque fauore antiquæ peregrinationis ſuę loca reuiſere. A patria gentiſque ſuæ memoriâ exularunt, donec ego ad publicum Belgij conſpectum illa reuocandi audaciam ſumpſi. Hanc mihi fecit, partim S. Petri Damiani iuſta expoſtulatio, partim iucunda Amplitudinis tuę recordatio. Tu enim cum bonus ſis & optimus, hoc præſertim virtutis tuę ſtemma eſſe voluiſti, vt quæ pietatem habent, iure ſibi Patrocinium tuum vendicent. Quin etiam, quia vt poſſis, larga Manu dedit Deus, pias piorum cauſſas ad tuã protectionem veluti aduocas & inuitas, dum apud te iura pietatis valere, publica Symboli tui inſcriptione fatearis. Tuus vero
ille

ille Petrus Damiani, ex ord. scilicet tuo, vita sanctissimus, scriptis clarissimus, purpurata dignitate illustrissimus, qui & ipse trium sui instituti sanctorũ præclara gesta conscripsit; in vita S. Romualdi, nobiscũ de nimia erga Patres nostros nunc cum Christo regnãtes ingratitudine, & impia de eorum gestis obliuione ac taciturnitate, acriter expostulat. *Aduersum te* (inquit) *munde immunde conquerimur; qui habes intolerabilem stultorum sapiẽtiam, turbam tibi facundam, Deo mutam; habes inquam, qui in prætorijs iudicum secularium, negotiorum lites, & caussarum iurgia continuis valeant declamationibus perorare; non habes qui possit in sancta Ecclesia vel vnius sanctorum virtutes,*

claraque gesta describere. Hac ego querela admonitus, ad paucula quæ tum occurrebant Dominicanorum Belgarum monumenta recensenda, animum & studiũ adieci: & licet Prouinciarum vrbiumque archiua, diuersas Belgij bibliothecas, pluresque Belgicarum rerum scriptores lustrare ac perlegere non potuerim, audax tamen fui, & vt hæc quæ quidem perquirere & nancisci potui, prodirent, permisi. Age ergo R.^{me} PRÆSVL, Petri Damiani, tuique ipsius memor, hanc quanquam exiguam sanctorum tabellam, solo pietatis iure nomini tuo inscriptam, patrocinio dignare: & vt in fronte, benignitatis tuæ clypeum præferat, indulge. Perferantur queso tuo

fauore


fauore per Belgicam suam, hæc ord. Præd. tuę Amplitudinis obseruantissimi, cimelia, quę tibi pius quisque lector se debere gaudebit; vt & sancti ipsi quorum sunt monumenta ac nomina; qui vicissim tibi sanctorum mansiones adituro, grati & gratulabundi occurrent. Diù interim pijs, bonis, Patriæ,

VIVE ET VALE.

Tuæ Reuerendiss. Amplitud. obseruantissimus,

F. HYACINTHVS CHOQVETIVS.

LECTO-



LECTORI.

PAuca Te precari necessum est, Benigne Lector, Primum ut si non mecum sentis, satius esse vitas ac monumenta sanctorum prout primitus scripta fuerunt debere edi, quàm stilum mutare, Condones quod præter desiderium tuum hic à me ita factum sit. Res enim quas hic damus obscuræ hactenus fuerunt, quibus proinde conclianda fuit & quærenda fides atque auctoritas. Licet enim in Belgio euenerint, ignoratione tamen aut obliuione, fama exciderunt, aut fortè caruerunt. Quod mirum non est, etenim August. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. dicit multa in ipsa vrbe

Carthagine

Carthagine euenisse, quæ Carthago nesciret. Quamobrem cùm non dubitem plura de hoc ipso argumento cognitionem nostram & manus effugisse, Te rursum precor, vt si quid tibi occurrerit quo hæc monumenta vel auctiora vel illustriora reddi possint, monere digneris.

Postremò miraberis proculdubio illos de quibus hoc libello est sermo, sanctos aut beatos à nobis appellari, cùm sanctorum aut beatorum numero ascripti non sint, vetueritq́ue Alexander III. ne vllus, etiamsi post eius mortem per eum miracula fierent, absque Pontificis consensu Beatus diceretur. Verum id quæso concede, quia plerosque ex illis reperio in aliorum libris aut monumentis eo titulo honoratos: vt Henricum à Calstris, vtramque

Margaretam, & Dodonem in fastis sanctorum Eriberti Rosueidi Societatis IESV, Nicolaum Harlemensem, & Brigidam, in Leandro, Michaele Pio, & alijs. Ioannem Agni in vetustis tapetibus. Deinde frequentiùs vtimur particula beatæ memoriæ. Ac tandem ij de quorum miraculis constat, videntur tacito Pontificis consensu, eo nomine gaudere, dum tamen publicè non colantur.



INDEX CAPITVM.

CAPVT PRIMVM.

Cap. 17

F A-

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo Frater PETRVS VOSTYNIVS S. Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum per Belgium Prouincialis, concedo facultatem, vt libellus de Sanctis Belgij Ord. Prædicatorum, quorum monumenta recensuit R. P. F. HYACINTHVS CHOQVETIVS S. Theologiæ Magister, eiusdemq; in Conuentu nostro Duacensi Professor ac Regens Primarius, typis excudatur & in lucem prodeat. Datum Gandaui 1617. Octobris 17.

F. PETRVS VOSTYNIVS qui suprà.

A P-

APPROBATIO
CENSORIS.

HOc laboriosum Syntagma Eximij M. N. HYACINTHI CHOQVETII, *in Conuentu Fratrum Prædicatorum Duacensi S. Theologiæ Professoris, & Regentis Primarij; quo is personarum vtriusque sexus ex eodem ordine, sanctitate in Belgio quondam illustrium; quæ haberi potuerunt miracula aliaque monumenta ac memorias, in lucem profert; ad id plerumque vsus non suis; sed authorum quos allegat, verbis: non vna ex causa pietati promouendæ vtile esse futurum, & impressionem mereri censuimus. Duaci, 15. Nouembris 1617.*

BARTHOLOMÆVS PETRVS
S. Theologię Doctor, & in
Vniu. Duac. Prof.


SVMMA

SVMMA
PRIVILEGII.

LBERTI ET ISABELLÆ Serenissimorum Belgij Principum Priuilegio cautum est, ne quis Typographus aut Bibliopola aliùs ab eo, cui Frater HYACINTHVS CHOQVETIVS, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Doctor, &c. id commisit, imprimat librum, cui titulus est, SANCTI BELGII ORDIN. PRÆDICATORVM, alibive impressum in hisce Belgij Prouincijs venalem inuehat, sub pœnis in dicto priuilegio latiùs comprehensis. Bruxellę, 11. Octobris 1617.

Signat

I. LE COMTE.



CAPVT PRIMVM.

Ordinem Prædicatorum fuiſſe in Belgio prænunciatum.

RDINIS Prædicatorum eximiam ſanctitatem, raram in Euangelij prædicatione induſtriã, inſigne in totius orbis conuerſione ſtudium, denique pro Eccleſiæ veræq; fidei defenſione labores maximos ac indefeſſos, non ſolùm dignatus eſt miſericors Deus celeberrimis vbique miraculis illuſtrare; verum etiam pluribus antequam is à beato Patriarcha Dominico inſtitutus eſſet annis, in varijs terrarum populis, voluit multis oraculis, magniſque prodigijs præmonſtrare. Præcurrerunt etenim plura vaticinia, atque admiranda portenta, quæ Dominicani inſtituti nondum extantis gloriam mundo publicarunt. Quidam in Gallijs, nonnulli in Germania, alij in Italiâ, diuerſiſque Europæ locis, futurum in Eccleſiâ ſanctiſſimum ordinem, cuius præcipuũ munus eſſet æternæ ſalutis documenta alijs tradere, diligenterque Euangelium Christi an-

nunciare, & qui à singulari prædicandi instituto Prædicatorum nomen mereretur, clarissimè prædixerunt.

Ioannes vulgo Theutonicus è castro Vualdesusano diæcesis Magdeburgensis, cùm puer esset decennis, inanes lusus & pueriles nugas, sua ætate grandior, exosus, inter coætaneos nũquam non de Deo verba faciebat, sæpiusq; è loco superiore ac spiritu planè diuino aperté prædicebat nouum & ab omni virtutum gloria celeberrimum ordinẽ breui instituendũ, cuius professores forẽt re ac nomine verè euãgelici Prędicatores, seq; ex illis vnum, & omniũ supremũ Præpositum (quẽ nunc generalem Magistrum appellant) futurum. cui Dominus postea cooperatus est, & sermonem ipso euẽtu, ac multiplici sequentium signorum testimonio, confirmauit.

Prodit Gerardus Lemouicensis, episcopũ quendam Arausicanum prouincię Arelatensis, ex ordine Pręmonstratẽsi, virum sanctitatis opinione celebrem, & prædicandi zelo ac facundia egregium, frequentissimis auditoribus, hęc aliquando è sacris rostris pronunciasse, Ego pro meo munere ac viribus Euangelicam Christi doctrinã hactenus vobis proposui & explicaui; singulari verò bonitate missurus est ad vos Deus, & in vniuersum orbem, admirabilis prorsus instituti viros, qui noua flãma, animarũq; zelo diuinitus accensi, ma-

si, ma-

ſi, magno ſapientiæ radio, & veræ pietatis exemplo, omnibus prælucebunt; corruptos mores acriter arguent, impietatem profligabunt, & aſſiduo ardenteque ſacrarum concionum exercitio,quam eorum miniſterio in mortalium cordibus inſeruerit Deus virtutem,diligenter excolent.

Ioachimus monaſterij Florenſis Abbas, annos forté decẽ ante primam Dominicanæ religionis originem, non vno loco ſuorum operum futuri Prędicatorũ ordinis apertiſſimé meminit; atq; beatum tantę religionis parentem Dominicum, cum ea ipſa veſte atra & candida quã à ſanctiſſima virgine Deipara,non ſine miraculo acceptam,ſuis ſectatoribus geſtandam tradidit; in Calabria deſcripſit: necnon ſui monaſterij alumnis ſeriò præcepit,vt futuri ordinis viros eo quem adumbrarat habitu veſtitos, omni humanitate exciperent, meminiſſentque illos eſſe quos Apoſtolorum inſtar, ad propagandum auxilium ſalutis humanæ,per terrarum orbem ſatores fidei Chriſtus deſtinaſſet. Plura alia extitere præſagia, quibus homines diaboli tyrannide oppreſſi, de futura Prædicatorum religione cælitus monebantur; quę percenſere foret importunũ. Cùm enim hoc opuſculo nobis dumtaxat propoſitum ſit,illuſtria paucorum monumenta, è plurimis illius inſtituti viris qui Belgicas prouincias ad rectam

viuendi normam, morum innocentiâ & doctrinæ integritate perduxerunt, ob lectoris oculos ponere: omissis ijs quę alibi futuri ordinis Dominicani splendorem portenderūt, duo hoc capite commemoranda sunt, quæ, quam salutaris Belgio foret Prædicatorum religio, clarissima fuêre è cœlo testimonia.

In Brabantia, nobili Belgarum prouincia, celebris est memoria Venerabilis Dominæ Mariæ rara vitæ probitate & miraculorum gloria illustris; quæ quod Oigniacum commodam pœnitentiæ, & sanctioris vitæ proposito sedem, delegerat, vulgò Oigniacensis dicitur, quanquam Niuellis nata. Eius gesta Iacobus S. R. E. Cardinalis Vitriacus accuratè descripsit, & ex eo Surius. Is verò rerum ab eâ pręclarè gestarum luculentus testis, & viuenti admodum familiaris, refert, eam cùm perditos orbis mores extinctamq; pietatem frequenter deploraret, Deumque vt afflictæ Ecclesiæ opem seriò adferret, ardenter deprecaretur: cælesti reuelatione monitam aliquando fuisse, tot ac tantis Ecclesiæ malis, quæ meritò deflebat, destinatū esse diuinitus remedium salutare. Proinde paucos post annos venturi essent Catholicę fidei pugiles strenui, viri puritatis amatores, pietate insignes, doctrina eximij, & euangelij prædicandi munere (à quo Prædicatorum nomine postea donati sunt) incomparabiles.

Illa

Illa verò hoc nuncio recreata, aliorum quoque animos promissi cælitùs auxilij certissima spe sæpiùs erigebat, & secuturam illam fælicem ętatem apertè vaticinabatur, ita refert Gerardus Lemouicensis lib. 1. de vitis fratrum cap. 2.

Illustrius est quod sub initia eiusdem instituti, Brugis opido peramæno, & celebri Flãdriæ emporio, accidisse constante famâ à maioribus ad seros nepotes transmissum est; In suburbano, pago Assenbrocano, angelorum modulationes ad eum locum sæpiùs auditas, vbi postea fuit Virginale Dominicanarum; refert Ioannes Gramaye in Flandria Franca, & suadet perpetua illius monasterij appellatio, quod nunc quoque ab angelico concentu Vallis Angelorum vulgò dicitur.

At verò nulla alia causa esse potuit cur ad eum locum descenderint cælitum chori, & mortalium auribus animisq; insonuerint angelicæ illæ voces, quàm quod locum illum totius virtutis scholam, religionis sacrarium, Theatrum pietatis futurum, suo cantu testarentur beati spiritus; qui proculdubio prædicebant tunc, futura eo loco sacrarum virginum lamenta, suspiria, flagella, ieiunia, cæteraq; religiosi instituti exercitamenta. Præcinebant epithalamium plurium Christi sponsarum, quę ex illo deserto vitæ austerio-

ris,& à ſæculi vanitatibus ſequeſtri ſolitudine, virtutum delitijs affluentes, ad æternos ſponſi virginum amplexus fæliciter erant commigraturę, atque ſuis apud Deum meritis Belgio maximopere profuturæ.

Magna ſane eſſe debuit, ac patriæ ſalutaris ordinis Prædicatorum ſanctitas, quam adeò luculenta teſtimonia, & cæleſtia oracula prædixerunt. Faxit miſericordiarum Pater Deus, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera, ſine quo nulla virtus eſſe poteſt; vt qui ſua benignitate maxima gratiæ dona, in ordinem Prædicatorum olim ad Belgij ſalutem largiter effudit, dignetur quoque nunc pro patribus ſanctis, filios ſanctos ſubmittere, Eliſæos, pro illis quos Eliæ inſtar, ac fæliciùs ardente caritatis flamma igneos, in beatam æternitatem induxit: vt Patrum ſpiritu duplicato, patriæ tot bellis hactenus afflictæ, varijſque erroribus agitatæ, meritis & exemplis opitulentur, & ea quæ ſecundum Deum eſt ſcientia inſtruant & adiuuent.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Celebris Dominicanorum in Belgium aduentus.

POSTQVAM inclaruerunt quæ iam cõmemorauimus de futuro Prædicatorum ordine testimonia; toti Belgicæ stuporem & admirationem attulêre, &, vt opinari fas est, in omnibus genitus est ardor, religiosum illud vitæ institutum, illosque viros conspiciendi, quorum sanctitatem cælestia monita præcurrebant. Sed, ô Deus, qui tunc tuæ benignitatis ac potentiæ miracula per famulos tuos Prædicatores, in alios Christiani nominis populos largiter effundebas; quàm creuit flamma illa Belgarum, maximè principum virorum fęminarumq; quando ex Italia eiusq; ac totius orbis capite Roma, Hispanijs, Germania, & vicina Galliarum principe Lutetia, fama nunciauit plures Dominicanorum meritis à morte ad vitam excitatos; pluribus lumẽ, gressum, integrãq; sanitatem, concessa aut restituta; ita vt prisca Apostolorum tẽpora cũ nouo sanctorum virorũ ordine rediisse viderẽtur! Enim verò licet primos per annos institutę Prædicatorũ religionis, alias tantũ Europæ gẽtes noua illa virtutis &

ſapientiæ ſydera ſuo lumine complerent; excitarunt nihiloſecius Belgicam inſolitis miraculorum radijs, quę fulguris inſtar ex rumore hîc emicabant: Quo factum eſt vt Belgæ eandem lucem ſperare, & magnis deſiderijs exoptare, cœperint.

Inter primos, ſub annum 1218. Dominicanos Lutetia Pariſiorum Flandriæ Comes Gandavum euocat, vrbem opulentam ac viribus potentem.

Erat ea tempeſtate miſera męſtaque Flandria, ac veluti ſuo Principe viduata; etenim Ferdinandus Sanchij Luſitaniæ regis filius, Ioannæ Comiti matrimonio iunctus, ante biennium à Philippo Galliarum rege, pręlio ad pagum Bouinas commiſſo captus, etiam tunc, ac multò poſt in Lupara Lutetię ſeruabatur; quo tempore ob eius abſentiam, plura patriæ infauſta acciderunt. Nulla tamē Catholicorum maximeq; piorum Principum animos aduerſa expugnare potuerunt, quin Deum, à cuius nutu pendent imperia & omnium iura regnorum, ſemper in mente, ſummoque cultu habuerint: quòd qui illis calamitatibus, eos ad immortalis vitæ coronam exercebat, ac paternè caſtigabat, idem cùm ei placitum foret, noſſet benigniore manu nouercantem fortunam depellere, & placido atque ſereno vultu res Flandriæ ſedare & proſperare.

Ioanna

Ioanna suam in Deum religionem multis vtriusque sexus extructis monasterijs, amplis etiam relictis opibus, comprobauit. illa ergò pro sua pietate ordinis Prædicatorum viros in Flandriam aduocat, nouos apud numen intercessores, qui magnis meritis patriæ succurrerent, & pro Ferdinandi reditu Deum exorarent.

Is quoque Lutetiæ detentus, & cominùs raram noui instituti sanctitatem cõspicatus, atque verisimiliter permisso cum illius viris colloquio, expertus; vt in Belgium suamque imprimis Flandriam irent, exorauit. Quare Gandavum Dominicani vocati & missi intendunt, rectaque Insulas Flandriæ vrbem adueniũt. ibi humanissimè à primoribus suscepti, pauperis sagi vestitu, aspectu modestiæ ac pietatis pleno, verbisque humanum nihil sed diuina sonantibus, conceptam de sua sanctitate opinionem & admirationem apud omnes auxerunt. Insulenses nunquam non ad pietatem faciles, tanto virtutis exemplo accensi, eò progressi sunt, vt pro religione cum ipsis Principibus veluti certasse videantur.

Perpetua apud nos traditio est, eiusque meminit Antonius noster Senensis in chronico folio 35. Dominicanos Gandavum properantes, ab Insulensibus detẽtos, atque ex pietate coactos ibi subsistere, & domici-

lium figere. hoc ipſum noſter Stephanus Sampayus in ſtemmate ord. Præd.pag.227. ſic ſcribit: *In eodem ferè tempore* (videlicet circa annum 1221) *Belgicis efflagitantibus, miſſi ſunt aliqui Apoſtolici viri in illam prouinciam, qui per Inſulas tranſeuntes, deuotione plebis ibidem detenti, verbum vitæ diſſeminare, atque conuentum extruere cœperunt, proindéque neceſſe fuit alios de nouo fratres in Belgicam deſtinare; qui Gandauenſem, Louanienſémque conuentus, voluntarijs populi expenſis & non minori lætitia inchoarunt.*

Porrò inſigne eſt Inſulis Canonicorum ad S.Petri Apoſtolorum Principis ædem, collegiũ; in quo omni ętate floruerunt viri pietate præſtabiles, eruditione conſpicui, atque in rebus agendis prudentia induſtriaq; ſummi. Ij præcipuè autores fuerunt vt fratres Gandavum, quò deſtinati erant, ire prohiberentur. Fratrum ſiquidem ſanctitatem, Venerabiles illi ac ſapientiſſimi viri, ſingulari affectu colebant; eumque ſplendida fundi donatione teſtati ſunt. Etenim locum cœnobio ædificando aptiſſimum, amplum, & intercurrente flumine ſemper irriguum ac fœcundum, in ipſo vrbis Pomerio vltrò dedere; in quo ad S. Iacobi Maioris inuocationem domus eſt extructa; in eaq;, quanquam non ſemel maior ædificiorum pars conflagrarit,

grarit, nostri pręstitere vsque ad annum 1579. quo ob bellorum tumultus in ipsam vrbem commigrarunt.

Nec verò sua spe Gandavenses sunt frustrati; alij siquidem ex eodem ordine Parisijs illuc destinati, fœliciter aduenerunt, & non inferiori humanitate ac publicæ lætitiæ testimonio, imprimis Ioannæ Senatusq; applausu suscepti, domum ædificarunt. Vnde postmodum ad alia Flandriæ opida manauit Dominicana Religio; cuius rei singula non perscribimus.

Gandavo Antuerpiam excurrimus, ac fœlicem quoque eam in vrbem Prædicatorum aduentum paucis indicamus. Priscam eius Religionem, affectum quo Dominicanos est prosecuta, opinionemq; quâ illorum sanctitatem est admirata, loquuntur litteræ quas subnectimus. Igitur eius ciues pari cum Flandris pietatis flamma arserunt, & noui instituti viros ad se mitti non minori religione exoptarunt. Verùm, recondito numinis consilio, nostrorum ad eos aduentus posterior fuit, & spes diu dilata. Quare cùm sæpius vt Antuerpiam Prædicatores mitterentur frustrà tentassent; Tandem occasione Comitiorum Prouinciæ Theutonicæ, quæ Argentorati anno 1243. celebrata fuêre, communi nomine litteras ad Patres in Capitulo (vt aiunt) Prouinciali con-

congregatos conscripserunt in hæc verba.

Religiosis viris & discretis, Honorando Patri Prouinciali fratrum Prædicatorum Theutoniæ, & fratribus Diffinitoribus Capituli Prouincialis apud Argentinam, Scabini & communitas Antuerpiensis, Cameracensis Diœcesis salutem & sinceram in Domino charitatem. Quamuis mundanis pulueribus obfuscati comparatione fælicitatis spiritualis multarum ciuitatum, quibus in populo & alijs temporalibus termini nostri superabundant; nostram necessitatem vobis inuitamur exponere. Cùm itaque secundum præsentem statum, ministerium vestrum sanctæ Dei Ecclesiæ comprobetur pernecessarium; & nos hucusque consolatione vestrâ (quod cum dolore proferre possumus) caruerimus, nisi inquantum beati fratres vestri domus Louaniensis, vel alij remotiores, nos duxerint visitare: omni deuotionis affectu vestram piè pulsantes exoramus charitatem, quatenus nobis & nostris compatiamini, & Collegium fratrum vestrorum Antuerpiam destinari faciatis. Hos enim ipsos affectu sincero & dilectione stabili pertractare compromittimus: firmam tenentes fiduciam quod cùm Dominus benedixerit domui Ægyptij, propter introitum Ioseph, & domui Laban propter Iacob; benedictionis diuinæ munus ad introitum eorumdem consequemur. Datum in inuentione S. Stephani, anno 1243.

Scripserunt quoque in eandem sententiam, atque eodem planè affectu Serenissimus Brabantiæ dux, & Cameracensis Episcopus.

copus. Agedum lector, hîc subsiste, & mirate raram eorum virtutem, quos beatos appellant hę litteræ; quorum aduentus, fœlicissimus patriæ futurus certò sperabatur, qui Antuerpię totique Brabantiæ tales fore credebantur, quales olim, Iosephus Ægypto, domui Labanicæ Iacobus: nimirum nubes, quæ diuini solis radio sereniore in cœlestem imbrem ac Belgio longè salutarē, soluerentur.

Lucebant in Germania ea ætate ex ordine Prædicatorum plura virtutum sydera, inter quæ maioribus sanctimoniæ flammis micabant beati Alberti duo; prior, ille qui pietatis atque eruditionis incomparabili gloria Magni nomen obtinuit: Posterior Flanchenbergensis, alijs Franckenbergensis iuxta Marpurgum in Hassia, alterum sanè purioris vitæ specimen. Beatus Robertus Saxo, & B. Ioannes Theutonicus, B. Gualterus, omnes editis miraculis, toti orbi admirabiles. ij Argentoratum cum alijs conuenerant, & pro Antuerpiensium voto fratres submiserunt, qui apud Antuerpienses virtutum vineam sedulò excolerent. Quid porrò Antuerpienses nouis illis Apostolis aduenientibus? Communem Ducis, Senatus, populique applausum, & testes lætitiæ lachrymas, oratione satis explicare nō possumus. Quisque ex litteris suspicari facilè potest.

Prædi-

Prædicatores ab ijs tanto gaudio acceptos fuisse, quanta omnium gratulatione Ægypti Columen Iosephus salutatus est.

Ea fuit olim, Antuerpia auorum tuorum pietas, quæ te omni bonorum genere locupletem effecit, diuitias peperit, palatia extruxit, atque frequenti exterarum nationum numero tua mœnia compleuit. In manu Domini diuitiæ & gloria; has sincero in Deum cultu, maiores tui tibi compararunt, docti scilicet quæsito per veram pietatem Dei regno, cætera florentis Reipublicæ commoda adjici. Adiecit profectò Deus, & maiorum tuorum virtute fœlix experta es, quam illi à Deo gratiam gloriamque exoptarunt. Perge, auitam Religionem foue, auge; & disce, tibi olim omnia bona cum illa obuenisse; omnium siquidem bonorum mater est: inquire primum regnum Dei, & iustitiam eius, & cætera tibi adjicienda, ipsi crede.

CAPVT TERTIVM.

Communis per orbem forma viuendi Dominicanorum, initio instituti ordinis.

IGITVR cōmuni patriæ voto Prædicatores ex Galliâ Germaniaque euocatos, in Belgium stylo induximus; operæpretium nunc est, eorū studia, viuēdi rationem, & quotidiana virtutum exercitamenta, oratione persequi. Nec sanè dubitari potest, quin nascentem primum religionem illam, cuius vnica cura esset corruptissimum orbem à vitijs in viam salutis reuocare, multiplici gratia cumularit Deus; & affuerit sacer spiritus, ijs quos de mundo elegerat vt fructum afferrent in æternitatem permansurum.

Et verò prima illius instituti auctrix Deipara, singulari studio ac materna curâ fratres vbiuis dirigebat, commonebat, solabatur, & frequenti colloquio recreabat. Id illam manifestè testatam cuidam Cisterciensi monacho, & in Saxonia sanctę opinionis fœminę, tradit Venerabilis Thomas Cantiprat. lib. 2. de apibus cap. 10. p. 16. & sequente. eius verba hîc reponimus. *Quidam Cisterciensis ordinis*

ordinis monachus, vitæ tam ſanctæ, viſionem mirabilem vidit, vt ei non credere flagitioſiſſimum & impium putaretur. Raptus enim in ſpiritu, patronam ipſius Ciſtercienſis ordinis vidit, Chriſti Ieſu benigniſſimam genitricem. Cui Beata Virgo, Vt ſincerè inquit diligas eos, & pro eis intenſius ores, tuæ charitati meos fratres & filios recommendo. Cumq; ille lætus annueret, fratres ordinis ſui hos confidens; beata Virgo inquit: Habeo & alios fratres, quos meo patrocinio fouendos & cuſtodiendos amplector. & hæc dicens, reuelato pallio fratres ordinis Prædicatorum ſub eo contutatos oſtendit; & adiecit: Hi ſunt (inquit) *qui ſpecialiter inſiſtunt negotio, ne dilecti filij mei ſanguis inutiliter ſit effuſus.* Hæc ibi. Tum ſequente parte. *Similiter cùm quædam in Saxonia (vt nobis frater* Walterus *de Treueri, ordinis Prædicatorum retulit) ſanctiſſimæ opinionis recluſa, Prædicatorum nomine excitata, videre fratres, in principio ordinis, vehementius affectaſſet; & tandem duos iuuenes fratres data occaſione vidiſſet: attonitâ mentis acie, dixit ad Dominum: Quid eſt Domine, quod prædicatio verbi tui per tam infantiles & imperitos homines vſurpatur? cui mox ad hæc verba beata Chriſti mater apparens, reuelato pallio (vt prius dictum eſt) ei fratres ordinis oſtendit, dicens: Ne deſpicias quoſcumque tales; ego ſum quæ rego eos & protego, & eorum pedes dirigo in viam pacis.*

Quid porrò ea Virtutis magiſtra, tutrice, matre? vigebat profectò regularis vitæ in animis

nimis amor, in actionibus obſeruantia, in
onſcientia puritas, in vultu modeſtia, in
onuerſatione ſine affectata grauitate matu-
:tas,in omnibus ſine fictione humilitas. erãt
:iunijs attriti,in laboribus (quos pro anima-
ım ſalute ingentes patiebantur) hilares;
orde Deum & proximum amantes, carne
ıtegri; mundo mortui; ſpectaculum facti
)eo,angelis & hominibus. Huius rei teſtem
ɔpello ac produco ſanctum Antoninum,
lorentinorum quondam Antiſtitem, nunc
ıtelarem. Is communem toto orbe viuendi
ɪrmulam, à Dominicanis obſeruatam ſub
ıitia inſtitutæ religionis, his verbis deſcri-
it 3. parte hiſt. titulo 23 cap. 10. *Temporibus*
'imitiuis tantus erat feruor in ordine quod nullus
fficiat enarrare. ſiquidem ſpiritus vitæ erat in ro-
, cuius virtute animalia ibant & reuertebantur,
ouebantur & eleuabantur ſecundum voluntatem
:ritus dirigentis. Videres vtique per ordinem, fer-
'rem mirabilem, alios protentis ſuſpirijs poſt quo-
lianas & puras confeſſiones, amaris ſingultibus,
'tis clamoribus, ſua & aliorum peccata lugentes.
:os in orationibus noctem ducentes cum die, cente-
s & ducentenis genuflexionibus laborantes. Videres
'cleſiam nunquam vel raro ſine orantibus eſſe:
ıde cùm plerique à portarijs quærebantur, in Ec-
ſia facilius quàm alibi, poterant inueniri orantes.
'nique quidam valde religioſus frater retulit quod
'rà paucum tempus, centum fratrum confeſſiones

generales audiuerat, quorum inuenit septuaginta integritatem mentis & corporis seruasse, non sine magna orationis instantia, & religionis custodia, quibus ipsa castitas maximè custoditur. Caterùm plures illo sancto feruore succensi non prius ab oratione surgebant, nisi aliquam specialem gratiam à Domino impetrassent. Vnde vnus dixit, quod non poterat de nocte quiescere, nisi prius se lachrymis irrigasset. Retulit alter magnæ authoritatis, se vidisse dum staret in oratione ante altare, Bononiæ, alterum feruentem spiritu, toto corpore eleuari à terra. Eodem tempore, quasi festiuum quoddam fratres Completorium expectabant, recommendantes se inuicem cum multo cordis affectu; pulsatóque signo, de quibuscunque locis ad chorum festinantius properabant. Vbi completo officio, & totius mundi Regina, nostríque ordinis aduocata, deuotissimè salutata, se disciplinis duris subijciebant: Post verò, quasi pro peregrinatione quadam, altaria omnia visitabant, humiliter procumbentes, & tanta producentes ab intimis flumina lachrymarum, vt si esses à foris, crederes plangi funus quoddam quod positum esset in medio. quod plerique sæcularium explorantes, viderunt & audierunt; & quàm plurimum ædificati sunt, & ex hoc aliqui ordinem intrarunt. His peractis, non statim currebant ad quinternos reuoluendos; sed in Ecclesia, vel in Capitulo, vel Claustri angulis latitantes, contra suos actus examinatione stri-

ne strictissima percurrebant, & ex hoc disciplinabant se fortiter, aliqui virgis, aliqui nodosis corrigijs, vt sonus eminus redderetur. Post matutinas pauci currebant ad libros, pauciores reuertebantur ad lectos, paucissimi qui non confiterentur antequam celebrarent. Cùm autem clarescerent; pulsabatur signum ad missarum celebrationem; tunc ad vnum fratrem multi currebant gratia ministrandi, & inter eos sancta vertebatur contentio, quis prior sacerdotem de tam sacro ministerio inuitasset, (id est, quis prior rogasset sacerdotem vt se ministro vteretur ad sacrificandum) *De deuotione erga Beatam Virginem quis dicere posset? dictis autem eius matutinis, deuotè à stantibus ad altare eius deuotius recurrebant, ne illud tantillum spatium ab oratione vacaret. Post Matutinas autem & Completorium, altare Beatæ Virginis quandoque ordine triplici ambientes, in gyro, se & ordinem, ipsi deuotione mirabili commendabant. In cellis etiam, habebant eius & filij crucifixi imaginem ante oculos suos; vt lugentes & orantes & decumbentes ipsas respicerent, & ab ipsis respicerentur oculo pietatis. In seruitijs autem mutuis se præuenientes, in infirmaria, in hospitio, in mensa, in lotione pedum; beatum se reputabat qui poterat alium in eiusmodi preueire. O quoties fratres exuebant cappas, tunicas, scapulare, & exhibebant fratribus peregrinis & incognitis prius! tanta erat in seruiendo*

deuotio & hilaritas faciei, vt non hominibus, sed Deo & angelis seruire viderentur. Aliquis in hoc tantam sensit dulcedinem, vt præ cordis lætitia ipsas deoscularetur scutellas. In obseruatione etiam silentij mirabiliter erant fratres deuoti. Fuit etiam aliquis, qui abstinentiam in non bibendo aliquando per octo dies protraxit: alius qui cùm ei offerebatur scutella, saporem eius aquam superfundens frigidam, diluebat; & bibebat. alius tota quadragesima stetit, non bibens nisi semel in die, nec loquens nisi interrogatus. Multi raro pitantijs vtebantur, multi, ne in speciali incurrerent notam; modò ab isto, modò ab illo abstinebant; omni die de sibi oblatis aliquid detrahentes. In prædicando autem verbum Dei, ad quod ordo à principio deputatus est; Deus super eum tantum effuderat feruorem, ita quod multi non cum tuta conscientia comedere audebant vlla die, nisi vni vel pluribus prædicassent: in quibus Spiritus sanctus supplebat ex interiore vnctione, quod eis deerat ex scientia acquisita. Nam multi multos conuerterunt ad pœnitentiam solùm cum textu septem horarum Canonicarum: quas, cum euangelio Beati Matthæi, Beatus Dominicus frequenter fratribus imponebat. In quodam Capitulo generali Parisijs, cùm incumberet aliquos mittere ad Prouinciam terræ sanctæ: dixit Magister Iordanus fratribus in ipso Capitulo, quod si parati essent bono animo illuc ire, quod significarent ei. Vix verbum impleuerat, & ecce vix fuit aliquis in tanta multitudine quin faceret veniam(id est, quin se prosterneret)*statim*

cum

cum fletu & lachrymis petens mitti ad illam terram Saluatoris sanguine consecratam. Frater autem Petrus Remensis, tunc Prior Prouincialis in Francia, hæc videns, surrexit; & facta venia, cum alijs, locutus est magistro in hunc modum: Bone Magister, aut carissimos istos fratres meos mihi dimittatis, aut mittatis me cum ipsis; quia ego paratus sum cum eis ire ad mortem. Mandauit Dominus Papa Innocentius Priori Prouinciali Franciæ, quod aliquos fratres mitteret ad Tartaros, propter quædam quæ sperabat de fructu viæ illius: Recitatum est mandatum istud in Capitulo Prouinciali; & ecce tot & tanti fratres se obtulerunt, quod fletus mirabilis illud Capitulum occupauit; nimirum alijs cum lachrymis petentibus huiusmodi obedientiam, alijs flentibus pro tam caris & tam dilectis fratribus se ingerentibus ad labores inæstimabiles, & mortes frequentes. Flebant alij præ gaudio quod habebant licentiam; flebant alij præ dolore, quia licentiam obtinere non poterant. Frater Humbertus magister ordinis circa principium officij sui, mandauit fratribus vbique, quod si qui voluntarij essent ad transfretandum ad Barbaros, propter nomen Domini dilatandum; suum circa hoc animum intimarent eidem. Quis dignè valeat enarrare, quot & quanti fratres, & quam de remotis nationibus, ad hoc non solùm gratis se obtulerunt, sed per aspersionem sanguinis & beatam mortem filij Dei, adiurarunt eundem vt ipsos mitteret, sciens eos paratos ad mortem, propter fidem & gloriam Saluatoris, in Gentilibus tolerandam.

Hæc B. Anton. Quibus meritò addi possunt quæ verisimiliter de Belgicis refert Cantipr. ex ijs enim facile quisq; metiri potest quotidiana nostrorum illius ætatis exercitamenta laboresq; maximos, & quæ propter insignem illorũ tolerantiã eximiãq; caritatẽ sibi apud Deũ merita cõparauerunt. is ergo auctor lib. 2. apum c. 10. p. 9. sic loquitur: *Igitur quales defectus fratribus in summis necessitatibus cõtigerunt, frequenter audiui. Quid autem & mihi experiri volenti, cũ fratribus cõtigerit in terra natiuitatis meæ simpliciter enarrabo. Veni in villam ignotam mihi longo itinere fatigatus in tantũ, vt præ debilitate nimia corde me deficere mox putarem. Ingressi fratres domũ presbyteri, nec saltem frustũ panis nigerrimi, quo familia vescebatur potuerunt obtinere. Inde digressi latè per villã nihil prorsus nisi in fine villæ à quadã paupercula fragmẽ panis furfurei habuerunt, donũ satis magnum, imò mihi maximũ donatiuum. Resedimus ergo sub dumo, panẽ comedimus, & licet palearũ aristæ quæ erant in pane, palatũ comedentiũ stimularent, nunquã tamen in vita mea fui tã suaui deliciarũ edulio delectatus. Consideraui ergo, nec sine graui dolore cordis, quid illi beati viri in multis locis & in multis articulis grauioribus sustinebant, qui hoc vna die non poteram sustinere. taceã ergo de talibus quæ illis frequenter occurrunt.* En labores attende nũc quæ de fratrũ meritis habet eodẽ li. c. 53. p. 4. *Frater* (inquit) *ord. Præd. cui hoc accidit quod subiungo, narrauit mihi nunquã se per annos aliquid dormiuisse. iacebat autem in infirmaria spiritu vix*

hærente; mirè tamẽ erat deditus seruitio matris Dei. Dictis autẽ à fratribus matutinis nocte quadã vsque ad laudes, Domina nostra cũ ingenti lumine fratri infirmo apparuit, dicẽs: ego mater Christi patrona ordinis tui præmunire te veni, quia in similitudinẽ habitus tui diabolus vt malus frater adueniet, sed contra illũ, verbis huiusmodi te signabis. Benedicat me Deus Pater qui cũcta creauit ex nihilo, benedicat me Deus Filius, qui hominẽ perditũ ex sanguine proprio reparauit. Benedicat me Deus Spiritus sanctus cuius me saluet pia cõsolationis infusio, nec diu senties protractæ debilitatis incõmodũ, sed conuenientibus fratribus in vnũ facies quod inspirabitur tibi, & integrã recipies sanitatẽ. His dictis pietatis mater repentè disparuit. Frater autẽ qui per plures annos vix ad dormiẽdum oculos clauserat, spatio psalmorũ qui in matutinarum laudibus dicebantur protinus obdormiuit, excitatus autem in Cantico Benedictus, vidit diabolum in specie fratris & habitu venientẽ, qui paulatim crescens domus fastigium attingebat. Nec mora verborũ memor quæ à pietatis matre didicerat, consignauit se, & mox dehiscente terra hosti antiquo patuit ruina magna. Paucis post diebus quò hæc gesta sunt euolutis, de prædicatione fratres vndiq; cõuenerunt, quibus lotis & rasis dictus frater debilis secundũ verba patronæ ordinis inspiratus dixit: O Deus omnipotens piorũ laborum misericors retributor seruorum tuorum sudores quã gratis oculis intueris, respice nunc ad me indignum famulũ tuum, & me participem digneris efficere eorũ quæ in istis sudoribus & laboribus famuli tui meruerunt. Hæc dicens sordes lotura fratrum

in vno alueolo congerens suo capiti superfudit, & sanitatem non solum capitis, verum etiam totius corporis cum omni integritate recepit. Hunc postea & laborum multorum patientissimũ vidimus, & in prædicationibus continuis expeditum.

Porrò ô ter fœlicem, ô ter beatam ætatem illam! ô sanctos fratres! ô Deum horum omnium largitorem! Tu verò, Belgium, fœlicitatem istam tuo continebas sinu; & quæ præcurrerāt oracula, in viua sanctitatis imagine legebas & intelligebas. Supra opinionem, supra spem vidisti viros mundi contemptores, tuæ salutis studiosissimos, ad Deum pro te intercessores, qui vindicem iudicis iram, & iam iam fulgura missuram manum à te auerterunt. Age nunc, salutis tuæ tantos opitulatores memoria recole sempiterna, & Christo coniunctiores habe tu quoque gratiores; vt vicissim quo possunt te fauore dignentur, & inter turbidas quibus nũc fluctuas malorum procellas, è cælo benigniora sydera affulgeant.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Summorum Pontificum de ordine Prædicatorum encomia.



AM vbiuis terrarum in sanctissimo ordine viuendi rationem, diligentemque in Euangelij prædicatione operā sæpius admirati summi Ecclesiæ Pontifices, varijs eam encomijs extulerunt: quorum nonnulla hic obiter reponimus, vt quæ superiore capite dicta sunt ab ijs etiam lucem accipiant. Primò igitur Honorius 3. à quo Dominicana Religio anno salutis *1216.* confirmata, bulla *Nos attendentes,* Prędicatores vocat *pugiles fidei, & vera mundi lumina.* Gregorius nonus bulla, *Quoniam,* de eisdem sic ait: *Veri & fideles Christi ministri, qui non quæ sua, sed quæ Christi sunt, quærunt.* Ioannes vigesimus secundus bulla *Magistrum,* eos appellat *homines in virtute Domino militantes, & crucifigentes cum vitijs & concupiscentijs carnem suā.* Innocentius quartus, bulla *Pater. Pater luminum* (inquit) *fratres Prædicatores in lucē gentiū tribuit.* & pluribus, bulla data Lugduni, quæ sic incipit, *Humiles habitu & affectu fratres de ordine Prædicatorum, cælestis amori patriæ sic se indissolubili vinculo adstrinxerunt; vt hoc solum pro de-*

liciјs habeant, quod per ſanctitatis opera, grati oculis diuinæ maieſtatis occurrant. De huiuſmodi quidem vinculi virtute procedit vt ipſi circa ea in quibus diuini gloria nominis & honor continetur Eccleſiæ ac robur Eccleſiaſticæ libertatis, ita prompto & indefeſſo ducantur ſpiritu, quod eis nulla formido poſſit obſiſtere, quin liberè facienda ſubeant quæ de Apoſtolicæ Sedis circumſpecta prodeunt voluntate. Nos itaque gloriantes in Domino quod ipſe viris talibus ſuam muniuit Eccleſiam, qui mori pro Chriſto diligunt, & pati pro iuſtitia delectantur. & bulla *Nimis*, ait, *abnegantes ſalubriter ſemetipſos, elegerunt in altiſſima paupertate Chriſto pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

Ad idem hęc habet Alexander 4. bulla cuius initium eſt, *Exultante ſpiritu, Frequenter aduertimus, quod ſtatus Eccleſiæ generalis, per veſtræ prædicationis & doctrinæ ſalutaris inſtantiam, diuina gratia ſuffragante, multipliciter illuſtratur.*

Clementis ſexti illuſtre teſtimonium eſt bulla quę incipit. *In ordine fratrum Prædicatorum quaſi ſolis radius, in hac lachrimarum valle, lux eruditionis elucet.* & rurſus alibi: *In ſuis labiјs æternæ ſapientiæ gratia diffuſa eſt.* Denique Bonifacius nonus bulla *Etſi pro*, ita loquitur. *Fratres ordinis Prædicatorum, multiplicibus ſplendoribus radiantes, quorum ſonus prædicationis per diuerſa mundi climata noſcitur exiuiſſe, hi ſunt, quos*

Deus numero multiplicauit & meritis.

Plura alia eiusdē notæ elogia omittimus; atque hæc quidē pauca ideo produximus, vt ex ijs metiatur lector quàm fuerit salutaris toti orbi, ac proinde Belgicæ, Dominicana Religio, cuius sanctitatem illustria tot Pontificum encomia celebrarunt. Quisquis virtutem colis, singula expēde, mirare, & Deum totius boni perennē fontē lauda, qui in sanctis suis est mirabilis, & benedictus in sęcula.

CAPVT QVINTVM.

Plures maximæ sanctitatis PP. Dominicanos ex alijs orbis partibus Belgium lustraße, & fructum in eo fecisse.

BENEFICII memor calamus gratitudinis tesseram hac in tabella nomina sanctorū pingit, qui alio orbe nati, Belgicā corporis præsentia, & cęlesti doctrina atque exēplo olim sunt dignati. Debitā illi, in hac scena, gloriæ palmam iure à nobis exigunt; nos eorū æternitati iure illā appendimus, & flāmantes hasce pietatis stellas è cęlo diuinę clemētię, infimas Germaniæ oras sua luce collustrasse, patrię nobisq; gratulamur. Quēadmodū enim Abrahamo fauit Deus hospites angelos; ita in

in Germaniam inferiorem prçter vernaculos Dominicanæ religionis alumnos, plures viri Angelorum imitatores, vitaq; illis simillimi, ex alijs terris cælitus missi sunt;qui insignem doctrinæ facem Belgio prætulerunt, & rara vitæ sanctimonia ad virtutem excitarunt. Fama tenet, ter maximum Albertum quondam Ratisbonensem Episcopum, Antuerpiam venisse anno 1271. ibique sui ordinis ædem sacrasse ; Louanium verò anno 1276. vbi in anteriore templo altaria quædam tantùm dedicauit. Ex vetere quoque fama fertur Angelicus & communis orbis Doctor S. Thomas Alberti Magni maximus auditor vnà cum magistro suo Louanium venisse, eoque solēnia sacra peragente diaconi ministerio functus: hodieque conspicitur pluteus in Odæo Prædicatorum quo fertur vsus Euangelio decantando. Piè insuper arbitrantur nonnulli eum Louanij in sui ordin. cœnobio docuisse:quod sanè Belgio non parum gloriæ, & nobis plurimum iucunditatis adferret: Plęraq; tamen horum incerta sunt. Fuit quidem beato Thomæ cum Aleide Brabantiæ ducissa summa necessitudo, eumque illa sæpius de arduis rebus consuluit;quarum vna, periculosum Iudæorum commercium regimenq;:de quo extat S. Tho.ad Aleidem Rescriptum, quod inter eiusdem Doctoris opuscula 21. locum obtinet. Eius autem necessitudinis

cessitudinis caussa B. Thom. in Belgium venisse, sola coniectura est: eum tamen Brabantiam vidisse, constat ex prima visitatione Capituli Canonicorum Thenensium, quæ ipso præsente & teste facta, ac proprij nominis eius subscriptione conclusa & cōfirmata fuit, feria 6. ante omnium Sanctorum, anno salutis 1243. qui erat Beato Thomæ vndevigesimus.

Porrò Alberto Louanium ad altaria sacranda venienti, comes esse non potuit, si à Iusto Lipsio in suo Louanio, alijsque scriptoribus, Alberti aduentus verè rejicitur in annum 76. supra 1200. Desierat siquidem esse Angelicus Doctor biennio ante. Et sanè quisquis error irrepserit, in temporum supputatione, constat beatum Albertum Ratisbonēsi Ecclesiæ præfectum fuisse ab Vrbano quarto anno 1265. beato Thoma agente 41. Nec verisimile est Albertum in Belgium descendisse priusquam quietis studio, & supremi iudicij horrore, grauem animarum curam opesq; deseruit, tribus à suscepta infula annis; at verò id temporis superabat S. Thomas quadragesimum secundum; qua ætate non existimo eum extra Italiam iuisse, cùm præsertim circa ea tempora Vrbeueti Theologiam professus sit, vbi diuinum illud de admirabili Eucharistiæ sacramento officium edidit; ac Neapoli postea docuerit, atq; inde

inde Lugdunũ à Gregorio decimo vocatus, in itinere viæ & vitæ curſum cõſummauerit.

Fuit igitur in Brabantia B. Thomas iunior, non tamen cum Alberto epiſcopo: euangelium etiam Louanij aliquando ſoléniter decantaſſe, antiquitati damus, & Louanio gratulamur. Ibi verò lectorẽ egiſſe, nec probatus quiſpiam ſcriptor meminit, nec à maioribus traditũ, nec ex vitæ eius ſerie colligi poteſt. etenim Coloniam ſtudiorum cauſa conceſſit annum agens 18. vix autem Coloniæ ſub Alberto ſtudij finem fecerat diſcipulus, quando Lutetiam miſſus eſt deſtinatam ſapientiæ eius Angelicæ & ſummæ gloriæ ſedem: qua in vrbe plurium annorum moras traxit. Inde Romam, Vrbeuetum, ac tandem Neapolim luſtrauit, iiſque locis diu hæſit docuitque. Vnde nullum contrariæ opinationis argumentum ſuadet S. Thomam poſtquam Pariſijs docere cœpit, Louanij docuiſſe. Cùm præterea nullum ſit eiuſce apud Louaniẽſes aut vllibi veſtigium. Non ſemel tamen in Belgio fuiſſe, ſeu dum primùm Pariſijs (ductore Beato Ioanne Theutonico, quarto Generali ord. Præd. Magiſtro, antea Boſſinenſi in Hungaria Epiſcopo) Coloniam ſtudiorũ ergo petijt; ſeu dũ prouectior Lutetiã redijt, planè opinor, & tantũ pietatis & eruditionis ſolẽ, Belgicum orbẽ ſuo lumine colluſtraſſe, gaudeo.

Præter

Pręter hunc solem nouum tibi iubar é Dominicanorum polo illuxit, Patria; nouus tibi fuit hospes angelus, ille nimirum quem beatús Euangelista conspexit volantem per medium cęli, & quaquauersum portantem euangelium ęternũ,totiq; mundo inclamantem, *Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.* Is nomine Vincentius, patria Valẽtinus, auito stemmate Ferrerius, religione Dominicanus, sanctitate clarissimus, á Christo in orbem missus quo supremi ac tremendi iudicij diem imminere populis nunciaret. Hic per medium cæli volans, maximamq; Europæ partem Dei monitu percurrens, quãquam eius præsentiam certatim expeterent Hispaniarum, Galliarũ, Angliæ, & vicinioris Africæ reges, in Belgiũ tamen venit, diuersasq; eius vrbes salutaribus monitis imbuit, per compita ob ingentem vbiuis populi frequentiam, conciones habuit, multa ac grandia miracula patrauit: siquidem illud supra hominum admirationẽ scribitur, eum singulis diebus statam horam miraculis edendis, sanandisq; qui morbo afflicti essent sibi destinauisse. Attende Belgium, & beneficium agnosce: viginti duorum annorũ spatio diuersissimos orbis populos pedibus lustrauit, aut sanè fracta ętate vili asello vectus pertransiuit, iudicis iram diemq; nũciaturus; vnico Hispano idiomate semper cõcionatus

ab

ab omnibus omninò intelligebatur. Iudęorũ 25. millia, Africanorum octo, ad Christi fidem conuertit, perditorum prætereà fidelium, & varijs sceleribus obnoxiorum centum millia ad meliorem vitam reduxit. Tune è tanto numero nullos tibi ascribes? fuerintne in solo Belgio irriti tanti viri labores, cassa merita, vigiliæ precesque sine fructu; & admirabilis illa miraculorum patrandorum potestas extincta penitus, vel sopita? Ad hasce profectò partes à patre misericordiarum missus fuit, vt eas cælesti variarum gratiarum imbre perfunderet, sparsamq; abs se verbi diuini sementem, fœcundis virtutum radijs animaret, & ad cælestis gloriæ messẽ perduceret. Vidi ego Salmanticæ in celeberrimo Prædicatorum cœnobio, galerum stramineũ quo vtebatur, ab eo relictum; eoque donario iure optimo gloriantur pijssimi illi sapientissimiq; patres: at non inferiore munere ab sanctissimo hoc viro donatum Belgium, nimirum proprio thorace, quem Audomaropoli in æde nostri ordinis, coram venerati sumus.

Quid porrò recenseam sanctorum non nomina solum sed agmina, & insigni pietate illustres Prædicatorum turmas, quas ex alijs ac vltimis terrarum oris excepit Belgium? Plura etenim hîc generalia totius Religionis comitia habita sunt; quæ magnum olim patriæ

atriæ ſplendorem attulerunt. Primus Do-
ninicanos ex toto orbe in Belgium, & cele-
rem illius vrbem Vallencenas, venire iuſſit
nno 1259. B. Humbertus de Romanis, quar-
us à Beato Dominico ſui ordinis Generalis
Magiſter, vir eximia pietate, quem ob raras
nimi dotes, atque ſingularem corporis præ-
antiam, ad ſummum Eccleſiæ clauum ad-
mouere conati ſunt Cardinales non pauci;
uanquam numinis prouidentia ſupremum
um & ſacrum Chriſtiani nominis magi-
ratum adierit tunc Innocentius quartus.
atriarchatum Ieroſolymitanum Nicolaus
rtius Humberto poſtea obtulit; Verùm is
gnitatem illam aliaſq; modeſtè cōtempſit,
conſtanter recuſauit, imò & ſuprema ſui
dinis præfectura ſe exuit; ac reliquos vitæ
nos adeò deinceps religiosè exegit, vt in-
is omnium fuerit de eius ſanctitate fama.
uam ſolida veritate ſubnixam demonſtrat
uatuor iam penè ſæculis mortuæ ac ſepultę
rnis integritas, præclarum beatæ immor-
itatis animæ teſtimonium. Viuebant &
rebant eo anno quo Comitia illa Vallen-
nis celebrata ſunt, in ordine Prædicato-
m plures excellenti virtute viri, è quibus
ratis etiam miraculis clarebant in Hiſpa-
, Dominicus Segobienſis, Petrus Hernā-
z, Romæus de Lyuia, Gaſpar Cantaber. In
ſitania, Ferdinādus Olyſſiponenſis, Ægi-
C dius

dius Magus, Consaluus de Amarantho. In Aquitania, Bernardus Transuersanus, Dominicus Valericanus, Bernardus Cantius. In Sabaudia, Galbertus quidam. In Italia, Rudolphus Fauentinus, Rolandus Cremonensis, alijque non pauci: quorum nonnullos Comitijs illis interfuisse mihi verosimile est; &, vt res aliter habeat, certum tamen omninò est eos ad Deum pro Belgio, quod primarios ordinis viros hospites habebat, preces fudisse.

Quartus à B. Humberto totius ord. Pręd. Generalis fuit B. Nicolaus Taruisinus qui Comitijs etiã celebrandis Belgicam præ alijs orbis partibus elegit, celebrẽq; Patrum, quos ex toto orbe aduocauerat cõuentum habuit Insulis anno 1297. quem Bonifacius octauus Cardinalitia purpura non multo pòst ornauit, & in summo Põtificatu successorem habuit; Deus verò maxima virtutum gloria cumulauit, & æternis beatorum Pontificum fastis adiecit. Humberti ac Nicolai exemplo, Belgijq; lustrandi desiderio, quidam alij ord. Prædic. Generales, sui instituti primarios Patres ad hasce partes Comitiorum causa venire iusserunt. Etenim anno 1336. Brugis Flandriæ oppido Hugo Capuanus communem istiusmodi suorum Dominicanorum conuentum coëgit, quo etiam loco post annos triginta duos idem præstitit

Helias

elias Raymundus Tholosas. Hos secutus
t Thomas Firmanus, qui Dominicanum
: toto orbe conuentum Antuerpiæ dedit
ino salutis 1401. Porrò præclarum est
iod ante illa tempora, anno videlicet 1330.
traiecti publica totius ordinis Prædic. co-
itia, singulari planè Dei nutu, præter ho-
inum spem, habita sunt sub Barnaba Ver-
llensi. Produnt siquidem scriptores,
tres Dominicanos Coloniam Agrippi-
m Capituli Generalis causa anno iam di-
› conuenisse; sed quia Cęsar Ludouicus
uarus schismatis auctor, qui Ioannem vi-
simum secũdum sede expulerat, substituto
tro Corbariense viro æquè scelesto, ordi-
m Prędicatorum constanter Romanum
ntificem Ioannem tueri, sibi ac Petro pu-
cè acriterq; aduersari conspiciens, nostros
o poterat modo insectabatur: qui ad comi-
Coloniam venerant, cælitus moniti sunt
le extẽplo discederent, & quæ habere sta-
rãt Comitia Vltraiecti haberent. Alij no-
›s non tantum monitu diuino secuturas
lestias declinasse, verum etiã schismatico-
n iussu Colonia migrare coactos scribunt.
ısmodi autem publica totius ordinis Co-
ia olim summi beneficij loco à Regibus
›ita & expetita, atque interdũ Dei beni-
tate miraculis illustrata fuisse pluribus
:erè possemus nisi prolixitatẽ vitaremus,

Duo nihilominus obiter proferemus. Primò siquidem produnt memoriæ veteres, atque ex illis sanctus Antoninus 3. parte historiali titulo 20. cap. 1. in quodam Capitulo generali ord. Præd. visum ignem supra sanctorum Patrum cœtum suauiter dilabi, admirando sanè prodigio & egregio testimonio diuinæ protectionis & adstantis Spiritus sancti, qui simili olim miraculo supra singulos Apostolorum ignea linguæ specie Ierosolymis apparuit. rem his verbis narrat S. Anton. agens de Clemente quarto. *Dicebatur autem nomine proprio Guido Fulcodij ordini Prædicatorum valde affectus; cuius Germana deuotissima mulier & affectuosissima ordini, vidit cùm fratres Prædicatores congregati essent in quodam conuentu ordinis pro quodam Capitulo generali celebrando, Spiritum sanctum super congregatos in Ecclesia, descendere in specie ignis: vt ipse Guido per litteras suas Capitulo retulit & Generali Magistro.* Alterum est quòd de simili Conuentu seu Capitulo Prædicatorum Augustæ Treuirorum habito anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono tradunt scriptores, è quibus hæc refert Stephanus Sampayus in stemmate ord. Prædic. pag. 236. *In eo septingenti quinquaginta fratres numerati fuerunt & trecenti famuli, quibus omnibus & multis alijs incidenter confluentibus, lautè omnia necessaria fuerunt ministrata. Rex enim Angliæ & Regina de omnibus, fratribus munificè prouiderunt.*

iderunt. Rex etiam Bohemiæ rogauit Magistrum rdinis vt futurum Capitulum in regno suo celerare dignaretur: qui & ipse offerebat se omnibus ratribus de omnibus necessarijs prouisurum pro solemnitate Capituli. Illustris etiam princeps Carolus ilius regis Apuliæ, per litteras suas humiliter & leuotè in eodem Capitulo petijt dari sibi quinquainta fratres quibus ipse libenter volebat & domos onstruere, & de necessarijs ad victum & vestitum rouidere. Patriarcha etiam Constantinopolitanus nisit ad idem Capitulum rogans humiliter per suos tuncios vt ei mitterentur fratres qui Græcam linuam vellent addiscere, quia paratus erat libentissinè centum studentibus Prædicatoriæ familiæ prouilere de necessarijs expensis. In hoc tertio Capitulo Treuirensi, tertiò contigit idem miraculum piscis lurionis. Nam pauper quidam piscator inuenit cira littora in aqua quendam sturionem latitantem; uem postquam interfecit, ad terram extrahens, vix um quadam sorore sua reptando pertrahere poterat: ui visus à populo non sine nouitatis admiratione, à leuotis ciuibus statim emptus est, atque honorificè ræsentatus religiosis Patribus Capituli qui à carniius strictè abstinebant: fuitq; laudis Dei, lætitiæ hoestæ, & ordinis gloriæ occasio non parua. Hæc ille. Sanè mirum est tribus vicibus quibus ea n vrbe Comitia ordinis fuerunt habita, semer repertum similem piscem alioqui admoum eo loco rarum. Porrò his persuadere onamur generales illos ac publicos ordinis

Prædicatorum conuẽtus non haberi absque magno totius Ecclesię splendore & vtilitate, ac maximè earũ prouinciarum in quibus celebrantur. Quod cùm verum sit, constetq; in Belgio sex eiusmodi Comitia habita fuisse, quibus plures viri sanctitate & miraculis illustres interfuerint, non immeritò patriæ gratulamur, & tantum à Deo acceptum beneficium memori affectu recolimus.

Porrò vos cõpello, fęlices sanctorũ animę, quæ iã cælo receptæ & perẽnis gloriæ iucundissima statione perfruẽtes, peregrinationis vestræ loca, læta interdũ memoria repetitis. tangat vos Belgica virtutum vestrarum testis & cultrix, quamq; olim miserati estis ac pio affectu prosecuti, etiam nunc iuuate afflictã. securæ estis de vestra gloria, solicitæ estote de nostra multiplici miseria.

Et verò tangat te patria, pia sanctorum recordatio quos tibi ex orbe toto trãsmisit Dominicana religio, exhibuitque veræ pietatis exempla, purioris vitę lumina, qui tibi illustri virtutis radio præluxerunt, doctrina profuerunt, & precibus magnisq; apud Deum meritis opitulati sunt. Hos sæpius ac turmatim ad te misit Deus, vt quod videres tanti ac præclari instituti cælum tot sideribus vndequaque consitum, copiosos virtutis & sapiẽtiæ imbres, in Belgarum animos largiter profunderet.



B. ZEGHERVS INSVLENSIS *M. bas. f.*

Caput sextum.

De Venerabili ac beatæ memoriæ Patre Zeghero *Insulensi.*

Dominicanorum nomina qui primum in Belgio sedes fixerunt, non produnt scriptores; eos tamen Insulis primum sui ordinis cœnobium extruxisse suprà retulimus: in quo sanè dubium non est viguisse illam quam capite tertio descripsimus sanctæ Religionis normam, multosq; viros magnâ eo in loco sanctitate claruisse, in quo prima fuit virtutis schola. Nulla nos monumenta vidimus, quæ vel veteres ex modestia non conscripserunt, vel dæmonis inuidia bellorumque incendia absumpserunt. Superauit tamen fęlix memoria Venerabilis Patris Zegheri, de quo ex manuscripto codice, seu vitâ beatæ Margaretæ Iprensis pauca hîc reponimus quæ eius sanctitatem luculenté testantur.

Fuit Zegherus ordinis Prædicatorum; & quanquam Insulis Flandrorum natum esse non constet, ea tamen in vrbe commoratum legimus, in qua viciniśque Flandriæ opidis, concionibus habendis & hominibus ad meliorem

liorem vitam reuocandis, insignem nauauit operam. Eoq; in munere, verè Apostolico, cùm plures alios cælestibus monitis docuerit vitæ huius oble&amenta contemnere, vnique Deo adhærere; velut beatus Matthæus Iphigeniam, ita is Margaretam Iprensem Deo consecrauit. Cùm enim Ipris aliquando perada concione, in templo pro illius populi salute Deum precaretur, in promiscua virorum mulierumq; turba Margaretam vidit, puellam hactenus ei incognitã, ad mundi voluptates compositam, varioque vestium luxu ornatam; Deoq; reuelante cognouit futuram deinceps vitæ sanctimonia celebrem. Quare eam è multitudine vltrò ad se vocat, ad cor loquitur, ad mundi despectum hortatur, meliores nuptias cælestesq; delicias proponit, Christum ei sponsum vouet, & tandem illo propitio atque è cælis cooperante, omnem vanitatis flammam in Margareta extinxit, & meretricium mundi amorem in castum virginum sponsi ignem commutauit; totaq; eam deinceps vita magnis sanctimoniæ exemplis, tanquã lucerna ardens & lucens anteiuit. Fuit siquidem regularis vitę accuratus obseruator, diligenter satagens eas primò virtutes in se habere, ad quarum amorem alios hortabatur. Assiduo pietatis studio didicit mundum odisse, & præ opibus vanisq; voluptatum ille-

cebris crucem complecti. Deinde pro sui ordinis instituto omni qua potuit sedulitate importunis acribusque correptionibus vitia publicè est insectatus, oportunisq; monitionibus torpescentes animos ad meliorē vitam excitauit. Quo in munere mira ei fuit dicēdi vis pondusq; verborum, quæ sane suggerebat optimus ille omnium magister, qui verba vitæ æternæ habuit & docuit: quo factum est vt cū Margareta ipsa quā conuerterat, quæuis hominum colloquia horreret, ex Zegheri tamen ore tota penderet, eiusq; sermonibus recrearetur quòd scilicet Angelorum colloquijs essent simillimi. Quin etiam illud Venerabili Zeghero euenisse mihi omninò persuadeo, quod in vita beatæ Margaretæ Iprensis cap. tricesimo secundo & sequēte de quodā sine nomine Dominicano refertur. & quidē eum cui illa contigerunt Belgā fuisse satis constat, & prędicādi laude clarissimum; nec tamen alium fuisse possumus suspicari præter Venerabilem Patrem Zegherum, cuius, vtpote tunc adhuc viuentis cum illa scriberentur, nomen prudenter supprimitur. sic ergo scribit Thomas Cantipratanus illius vitæ scriptor. *Cum quidam frater de ordine Prædicatorum prædicaret, & illa* (scilicet Margareta) *cum alia religiosissima Domina ad fratris pedes pariter consedissent, viderunt ambæ simul corporalibus oculis quod Angelus Domini prædicantis*

dicantis faciem mira claritate circundaret, & in aure suggereret quid foris populo prædicaret. in qua visione, beatæ & Deo dignæ mulieres perhibuerunt testimonium veritati. Et cap. seq. ita habet: *Quidã ex ijsdem fratribus Prædicatoribus sermonẽ facturus in Ipris, manè venit ad illam, conquestus grauiter quod aliàs præpeditus nihil præcogitasset quomodo aut quid populo loqueretur. Nec mora: visa est manus aurea super ambos, & non sicut Iacob diuaricatis manibus filijs Ioseph, sed sicut filijs suis communiter benedixit; & vide qualis benedictionem consequatur effectus. Prædicauit dictus frater, & sermoni eius tãtã gratiã diuinæ misericordia donauit, vt totus populus quasi repentino sonitu consternatus vberrimè fleret, ac præ feruore spiritus in eiulatus maximos exclamaret; ipse autem frater tanta dulcedine spiritus interius replebatur, vt tota die velut inter paradisi delicias versaretur: ipsa autem ancilla Christi nec benedictionis suæ parte frustrata est. Cùm enim frater in sermonis fine illud sponsæ in Canticis diceret, Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorũ; & hoc eleuatis ad cælos oculis exclamasset: statim vidisse visa est se trahi cælitus, & in excessu mentis subitò rapi. Ibi autem quid viderit, æstimare possumus quidem sed non effari.* Hæc illustria sunt testimonia zeli atque interioris flammæ quâ beatus ille vir Dei ad proximorũ amorẽ succensus, animarũ quas suo Christus cruore redemit salutem promouere indefessè studuit. Fuit prætereà orationis contemplationisque

summus

summus amator, tantæq; ex frequenti orationum exercitio apud Deum virtutis, vt iis pro quibus preces fundebat etiam absentibus spiritualem quandam lætitiam impetraret; teste Cantipratano, qui rem his verbis cap. 30. de vita Margaretę scribit. *Die quadam intrans Ecclesiam* (Margaretam intellige) *miro gaudio subitò replebatur; dixit autem postea quod nunquam tantum gaudium concepisset, nisi ad contemplationem spiritus eius excessisset. Cùm à Domino quæreret quæ esset causa consolationis tam subitæ; sensit Domino reuelante quod Pater suus spiritualis pro ea solennia celebraret: nec magnum postea tempus excessit cùm ille ad eam gratia consolationis accessit, eiq; illa diem, horam, locum, & missam dixit quam pro ea Domino celebrasset, addens quod nunquam eius missam audisset, nisi alicuius virtutis gratiam à Domino accepisset.*

Quid porrò? tanta fuit vitæ Venerabilis Zegheri puritas, eaque morum innocentia, vt cum beata Margareta eius familiaritate plurimum delectaretur, ob idq; vereretur, ne supra quam par esset sanctum illum Patrem diligeret: diuino Christi sponsi sui testimonio in pio illo affectu, confirmata fuit. Refert id præfatus auctor cap. vigesimoquinto in hunc modum: *Igitur cùm Patrem suum spiritualem super omnes & omnia quæ in mũdo habebat, eo quod eam à mundo reuocasset, diligeret; cœpit ex simplicitate cordis, ne hoc contra Dominum*

nium esset in aliquo, animo pauitare; & dixit Domino in oratione: Benignissime Iesu Christe, te, vt nosti, super omnia diligo, & propter te, illum qui me te recognoscere & ad te diligendum instruxit: at quia mutua dilectio & frequens allocutio viri cum fœmina maioribus nostris suspecta videtur, rogo te per excellentissimam humilitatem tuam, vt mihi ancillæ tuæ clementer ostendas, si in dilectione & collocutione serui tui damnum aliquod tui amoris incurram; & ego spondeo si tuæ charitati aduersum inuenero, nunquam ei postea loquar. Absit enim vt pro omnibus quæ in cælo & in terra sunt, tuam erga me charitatem vellem diminui. Vix verba compleuit; & ei Dominus respondit in spiritu. Vice mei illi credere non formides: quia ex ore illius tibi in necessarijs respondebo. Non oberit tibi in carne & spiritu quicquid ille præceperit.

Prçclara verò beati Zegheri sanctitas, pluribus eius videndi desiderium peperit; quo factum vt Flandriæ princeps Ioanna, Cameracensis Episcopus, alijque primates sæpius eum ad se euocarint, tum vt virtutis imagine recrearentur, tum vt salutaria vitæ melioris documenta à viro verè Apostolico auidè exciperent. Optasse quoque se frequenter conspectum Venerabilis Zegheri testatur vir pietatis laude clarissimus Thomas Cantipr. præfatione ad vitam beatę Margaretæ, séque non sine fructu eum vidisse his verbis commemorat. *Amico & fratri in Christo charissimo, fratri*

fratri Zeghero (alij Sigerum legunt, vel Segherum) & actione & ordine Prædicatori in Insula, frater eiusdem ordinis, cuius nomen ad præsens non vtile nominari, salutem, & bene hoc quod sibi. Tua fama charissime frequenter excitatus, videre te à multo ante tempore cupiebam; vnde post Augustum à Parisijs rediens, Ipras me venire contigit & videre, vt spero nullatenus sine fructu.

Porrò miracula quæ Dei seruus Zegherus patrauerit non legi. Vnum est, quod cùm beata Margareta ipsi commune esse videtur. Cùm enim mulier quędam brachij tumore & ardore plurimum affligeretur, frustraque quicquid ex arte poterant medici consulissent; Zegherum adijt consilium & opem implorans, gnara scilicet eum morbo afflictos iuuare solitum. is occasionem ex beatæ Margaretæ recens sepultæ meritis captat, mulierem ad eius sepulchrum ire iubet. *Vade* (inquit) *& dic filiæ meæ, vt nunc mortua, mihi, sicut quondam viuens, obediat; & roget Dominum vt te sanet.* O magnam in Deum confidentiam! Pergit mulier, consilio vtitur, & sepulchro adstans inclamat. *Margareta, frater Zegherus per me tibi in hæc verba demandat, vt ei mortuo sicut quondam viuens obedias, & pro me Dominum roges vt saner in brachio. & vide (*verba sunt Cantiprat.*) quanta vis sermonis in fratre, & quanta obedientia iam defunctæ. mox namque, sub eodem temporis spatio, & hoc*

& hoc multis videntibus, mulier in brachio restituta est sanitati.

Quisque huius rei prudens lector æquusq; arbiter facile admittet Zeghero diuinitùs cognitam fuisse Margaretæ tunc defunctæ gloriam; vt illo imperandi modo ab omni temeritatis suspicione longissimé abfuerit; alioqui similia passim non licent. Nemo etiam negauerit eam iussionem profectam esse ex summa Zegheri in Deum confidentia, & heroicâ illa fidei perfectione, qua sancti montes transtulerunt, & innumera atque ingentia miracula sunt operati. Deinde à mortua iam & sepulta Virgine publicum obedientiæ testimonium vel imperio extorquere vel meritis impetrare, naturæ vires sine controuersia superat. Quocirca non infimam illius miraculi partem Beato Zeghero tribuendam meritò quiuis existimet; præsertim cùm pleraque alia quæ vnius iussu, alterius vero ministerio, facta sunt, duobus communia esse censeantur. Eiusmodi est: S. Materni postea Treuirorum, Agrippinensium, & Tungrorum Apostoli ac Præsulis suscitatio, quę non solum Apostolorũ Principi Petro Romę iubẽti, verũ etiam Euchario & Valerio tribuitur, qui magistri pedũ effosso cadaueri admouerũt, & vt reuiueret Maternus, magna fide, viri sané sanctissimi, inclamarũt.

Rursum

Rursum clarissimum illud beati Mauri sicco pede stagnum calcantis prodigium, illius atque beati Patris Benedicti meritis deberi nemo ambigit. Plura alia omitto: quibus etiam simile est, quod Zegherus Insulis agẽs, Margaretæ Ipris existenti, & spiritualis solatij indigę, quadam vice in spiritu cõspectus; altera, oculis etiam corporis visus est, & optatum solatium attulit. quod profectò rarum est, & vtriusque sanctitatem non parum testatur. Hæc sunt quæ de viri Dei Venerabilis fratris Zegheri vita rebusque præclarè gestis, hactenus vidimus, & ex aliorum monumentis eruere potuimus. hoc vnum addo, Zegherum fuisse ex primis Patribus qui vel aliunde in Belgium aduenerunt, vel in hisce partibus beati Dominici institutum sunt complexi. Fuit enim celebris eius fama ante B. Margaretæ conuersionem; quæ tamen desijt viuere anno Christi ducentesimo trigesimo septimo supra millesimum, qui ei erat ætatis vigesimus primus.

Capvt

CAPVT SEPTIMVM.

Communia de Conuentu Gandensi.

PRoximè sequitur Gandauense eiusdem ordinis monasterium, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo ad Schaldis & Lisæ confluentium ripam fœliciter extructum. In eo floruerunt plurimi eximia pietate viri; quibus tamen, proh dolor! scriptores defuerunt, vel certè præclara eorum monumenta nobis inuidit, qui cætera bona inuidet virtutis osor & generis nostri impius hostis: ita scilicet cauit ne faces illæ Virtutum posteritati prælucerent, ne Patrum exempla nepotes ad imitationem accenderent, & (eheu) ne per eadem vestigia illum quem ipsi assecuti sunt æternitatis portum, hi inuenirent. Ergo sanctorum illorum merita, imo & nomina, nescimus; inter alta tamen antiquæ obliuionis silentia, sepultos illorum cineres, integra adhuc belgij fide, venerati sunt maiores nostri; terram sanctarum exuuiarum custodem coluerunt, & parietes seuerioris disciplinæ testes obseruarunt. At verò id quoque solatij nobis eripuit dæmon: &, ne ager

ille solitam pietatis fragrantiam spiraret, priscumque innocentię thymum redoleret; impurissima obscænaque reproborum hominum cadauera, mille scelerum putoribus imbuta, ac piceos Erebi fumos fœtentia, commiscuerunt Iconoclastę æternoq; lumini rebelles Caluinistæ. Dolebant Antichristi anteambulones, dęmonis mancipia, locum illū Paradisi delicijs affluere, & publica sanctitatis gloria commēdari. Maximā namque fuisse cœmiterij Gandensis in peristylio Prędicatorū, apud omnes ęstimationem, nouit, quod nos proximè antecessit sæculū, & præfati monasterij testantur monumenta: quorum dum de beati Ioannis Agni sancto obitu loquuntur, hic tenor est. *Obijt autem Deo charus ille Pater Ioannes Agnus multis ornatus virtutibus anno millesimo ducentesimo nonagesimo sexto; sepultusq; est sub dio in cæmiterio nostro conuentus Gandensis, sicut & multi alij pietate insignes viri terræ mandati sunt ibidem, ita vt locus ille olim summo in honore sit habitus, quo factum est vt Illustrissima Domina Margareta Eduardi quarti Anglorum regis soror, ac Caroli Burgundionum & Brabantiæ Ducis, Comitisq; Flandriæ postrema vxor, ambierit ibi habere sepulturam; quod tamen illi (licet de hoc conuentu optimè merita fuerit ac multa maximáque contulerit atque maiora se collaturam promitteret) negatum est à Patribus eius temporis, indignum iudicantibus, vt inter*

inter tot praeclaros sanctosq; viros fœmina conderetur. Quæ loci Reuerentia seruata est summo conamine, vsque ad annum superioris sæculi septuagesimum octauum, quo profligatis fratribus Caluinistæ locum inuolarunt, & (quæ eorum consuetudo sacra profanis miscere) hoc eodem in cœmiterio suorum cadauera defoderunt; ita vt olim tam venerandus ac sanctus, iam non immeritò propter tam impios cineres, despicatior fieret. Verum ita numini visum, vt infęlix lolium & quod vitiorum æstu æternis flammis iamdudum aruit, eritque tandem ardentis sulphuris pabulum, inter triticum, inter violas floréſque virtutum, delitescat. Nouit tamen Dominus qui sunt eius, nouit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Nouit zizania, coacto in horrea tritico, ignibus dare; nouit qui nunc bonis malisque æquè splendet, solem impijs eripere, eosque in abstrusis mundi carceribus teterrima fuligine & caligine detinere. Nũc ergo dæmonis fraude nobis subrepta sãctorũ nomina dolemus quidẽ, colimus tamen cęlo cognita; eorũq; albo inscribi satagim⁹, & inter huius vitę syrtes, beatorũ precibus adiuuari vehemẽter optamus.

Porrò cùm varia fuerint Gandauensis Cœnobij viris diuinitus collata beneficia, pluraque extiterint sanctitatis illorum testimonia; vnum hoc loco commemorandum est, quod cum reliquis haud facilè

extingui potuit. Rē his verbis refert Iāſſius in manuſcriptis ad me miſſis. *Fuit item* (in eodem nimirum conuentu) *Honorandus Pater, frater Iacobus Weyts, Sacræ Theologiæ Doctor, eximia pollens ſcientia, & mira dicendi facilitate præditus, quondam Prior Conuentus Harlemenſis, multis donis à Deo Optimo Maximo ornatus, ac in defendenda fide & veritate pugil fortiſſimus. Huius opera & concionibus Roſarium Virginis Deiparæ (vt illi deuotus admodum erat) iterum in pretio haberi cœpit inter ciues Gandenſes. Supradicti autem Patris Iacobi tempore tragicum quid Gandaui contigit notatu dignum. Erat hic Pater vt dictum eſt ſtrenuus fidei propugnator, ac Virginis matris Roſarij feruidus commendator; huic ſemel ob quoſdam articulos ſæpius in publica concione defenſos putamus accidiſſe hæc quæ dicemus: Indulgentias Roſarij hic Pater populo propoſuerat, quod quidam ægrè ferebant, tanquam auerteret populum ab Eccleſijs Parochialibus; vnde menſe Iulio recuperatæ ſalutis anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo primo retrahitur ex itinere quo ſe domum conferebat, ac veluti captiuus ad domum Paſtoris S. Nicolai perducitur; vbi nouem diebus, & noctibus totidem, ſub cuſtodia detinetur, quibus peractis, dictus Pater ad domum Decani Chriſtianitatis (vt vocant) perducitur, vbi per ſex hebdomadas integras detentus fuit; reliquis fratribus nequicquam priuilegia ſua prætendentibus, & ad Sedem Apoſtolicam appellantibus. Hæc ita peracta ſunt per malignam*

lignam conspirationem, itemq́ falsam informationē cuiusdam Domini Adriani Milot qui vices Episcopi Tornacensis tum temporis Gādaui gessit, & Domini Ioannis Caruin, qui tum erat dicti Pontificis velut officialis: qui etiam suis suggestionibus eò Magistratum ciuilem perpulerunt, vt edicto publico ciuibus omnibus interdictum sit, ne fratribus Prædicatoribus vllam conferrent eleemosynam, aut eorum conciones adirent, vel templum frequentarent, vlláue colloquia cum illis miscerent, ni velint perduelles ac Reipublicæ hostes vt haberi, ita & puniri: quo scilicet modo fratres cogerentur per extremam inopiam suum relinquere monasterium, vel constantiam ponere, vel aliorsum prorsus commigrare. Sed hæc eos fefellit opinio. Nam ab omnibus mortalibus relicti, se conuerterunt ad Deum, continuis ac ardentibus precibus efflagitantes, vt numen ipsum iam destitutis ac iniustè talia passis, dignaretur subuenire. Cùm igitur iam fratribus victui necessaria penè deessent, & lite in Romana curia pendente res longiorem moram promittere videretur; aduectus est currus à duobus ad maiorem monasterij portam (quæ vltrò eis patuit) onustus omnibus ad sustentationem vitæ necessarijs. Accurrentibus fratribus, ac multa, vt fit, sciscitantibus ab illis ignotis vectoribus, hoc solum pro responso tulerunt; Collaudate Deum vos, & honorate benedictam matrem eius, cuius interuentu non dereliquit ille sperantes in se, nec deseret vnquam; sed magis dabit cum tentatione prouentum. His dictis; cunctis rebus humi depositis, statim cum suo curru de

hominum conspectu sunt subducti; nec vnquã cognitũ vnde venerint: sed Angeli Dei proculdubio erant. Hoc munere sic à Dei misericordia recepto, fratres ad ecclesiã se proripiũt, ac in diuinas laudes prorũpũt, cõcinẽtes sonoris vocibus Te Deum &c. *Accidit autẽ pretorẽ summũ ciuitatis Gandensis, equo præteruectũ transire; qui fratres exaudiens lætis animis cantãtes (quos iam fame propemodũ deiectos autumare non abs re poterat) quasi insanus, ore sacrilego fanda pariter & infanda deblatterans, minabatur se omnes trucidaturum. Vix verba finierat: vt erat stipatus armato satellite, ad pontis decliuium cespitante equo ac caput inter anteriores pedes reclinante, ephippio deturbatus, capite lapidibus illiso, & ceruice fracta, semianimis illinc delatus, ac nullo deinceps prolato verbo, post paucas horas expirauit. Tam diro casu hominis, penes quem apud Gandenses summa potestas est, perculsi non immeritò cæteri, feroces animos demittere cœperunt, vel eo maximè quod criminatores, datis à Romana curia litteris, iubebantur dictum Patrem Iacobum liberum dimittere; licet illi mandato pro tempore parere vix induci potuerint. Postmodum tamen, causæ suæ diffidentes, Patrem illum dimiserunt qui obijt anno 1498.*

O Dei fauorẽ sanctis illis fratribus opportunum! ô optandam ab hominibus calamitatem, quâ qui perniciem bonorum moliebatur diabolus, expertus est, Deo placere, quos homines fuco pietatis, & sola virtutis larua tumidi, auersabantur; & quibus huma-

næ opitulationis riuulos illi clauſerant, omnium bonorum fontem patuiſſe. Tua eſt, benigniſſime Deus potentia; tuũ regnum; Tu iuſtus Domine in omnibus operibus tuis; tu prope fuiſti tunc fratribus inuocantibus te in veritate, voluntatem timentium te feciſti, & deprecationem eorum exaudiuiſti, & ſaluos feciſti eos. Qui das iumentis eſcam ipſorum & pullis coruorum inuocantibus te: tibi Domine beneplacitum fuit ſuper Prædicatores timentes te, & ſperantes ſuper miſericordia tua. Illi iam gloriam maieſtatis tuę cũ illis angelis quos ad eos miſiſti, & Daniele, exaltant, & potẽtiam tuam loquuntur in ſæculum & in ſæculum ſæculi. Nos tibi quoque benedicimus & laudamus nomen tuum, & miſericordiam quã humillimè imploramus: & beatum dicimus conuentũ cui hæc fuerũt, beatos fratres quos hoc prodigio clarificare dignatus es.

Vos verò parcite, fœlices animæ, quarum merita, quæ cum nomine ignoramus, hoc loco ſilere cogimur: Gratulamur tamẽ mercedem laborum veſtrorum ab hoſte nõ poſſe eripi; puluerem enim immortalem reliquiſtis in ſepulchris, cui in Olympi vertice, vbi non eſuritis nec ſititis amplius, inſcribet Deus ter fælicem æternæ gloriæ triumphum.

56



B. M. IOANNES AGNI GANDENSIS.

Capvt octavvm.

De B. Ioanne Agni Gandensi.


ET verò quanquam plures qui ex illo celeberrimo cœnobio prodierunt viri ſanctitatis gloria illuſtres, recondito Dei conſilio nos lateãt, eiuſdem tamen benigniſſima dignatione vigent etiamnum quorumdam nomina, & quidam virtutis illorum radij emicant, ex quorum fulgore licet maiorem illam lucem & igneos diuinioris gratiæ globos æſtimare & ſuſpicari.

Primas ſibi vendicat beatæ memoriæ Ioannes Agni, vir omni virtutum laude excellens, quique vitæ innocentiam, morumq; puritatem ita coluit, vt reipſa ſanè nominis ſui vim & ſignificationem, magno pietatis ſtudio, rectè ſit interpretatus, & illum ipſum Agnum ſcelerum omnium expiatorem, ob oculos mentemque aſſiduè habuerit, quem beatiſſimus Baptiſta & venturum nunciauit & adeſſe monſtrauit. Raram eius in Deum confidentiam, incredibilem prędicandi Euangelij ac fidelium ſalutis promouendæ affectum, ſummamque ad ſuperiorum iuſſa capeſſenda animi promptitudinem,

dinem, docent quæ ex monumentis ad me transmissis hic subnectuntur. *Inter alios porrò sanctitate conspicuos qui Gandaui floruerunt fuit etiam frater Ioannes Agnus, fortè lammens (quæ dictio Flandrica est, & agnum significat) qui viuens miraculis claruit; verum quot aut quibus, non annotauit antiquitas veneranda, cui satis fuit Deo placere. Hoc tamen in scriptis reperimus, & contestantur antiquæ pariter picturæ, si quæ rabidorum Iconoclastarum manus euaserunt, quod cùm missus esset ad prædicandum Dei verbum in pagum vulgo Elsdyck, Goussæ vicinum (quod est Zutbenelandiæ, insulæ Zelandicæ oppidum) vbi quot annis celebris fit supplicatio in honorem sanctæ crucis, quæ maxima ibi incolarum & vicinarum vrbium veneratione colitur; & ob grauissimam tempestatem, nautarum nullus vellet auderètve se fluctibus committere: videns sibi interclusum iter, & nihilominus desiderio accensus munus ad quod missus erat exequendi; Deo cui mare & venti obediunt, cum fiducia inuocato, extremam suam vestem quam cappam dicimus super aquas extendit, & signo crucis communitus, eximio Dei fauore veluti super solidam terram stetit, & cœptum iter, mare pedibus calcans est prosecutus, sociúmque simili prodigio per maris æstum traduxit. Quod dum fieret: erant Parochiæ ad quam properabat, pastor & custos templo ob festiuitatem*

ſtiuitatem exornando occupati : ad quos vox diuinitus lapſa eſt ; En concionator veſter venit ; vos eum honorificate , quem Deus ſic glorificat. Campano mox ære concrepante , conuocatur populus, & proceſſionatim itum fratribus obuiam, atque ad ſanctam crucem (quam miraculoſam vocant) eos cum ſummo honore deducunt. Hæc ad parietem Eccleſiæ, vſque ad vltimam deſolationem, quæ fuit ſub annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum ſecundum depicta conſpiciebantur. Continuum præterea miraculum ad hæc vſque, quamuis deploratiſſima tempora, permanſit, vt conſpicuè videantur veſtigia depreſſa humi, licet inter virentia gramina brumæq; niues, quo loco conſtiterunt pedes dum verbum Dei ſub illius ſupplicationis tempore prædicauit ; quem vernacula lingua, incolæ den Coninſganck *vulgo dicunt ; quod Latinè regis inceſſum ſeu viam regiam ſignificat. Eum verò locum dum nefarius quidam contemerare tentat, terram ligone fodiendo : mox lacerti brachiorum eius maximo cum cruciatu paralyſi plagantur à Deo; dumque poſtea adhuc impia deblaterat, claudicatioue pedum inſuper percutitur, ſed in his omnibus tam euidentibus ſignis (vt peruerſi difficilè corriguntur, manſit perfidia hominis in ſuis ſordibus contabeſcens, contigêre hæc circa ſalutis annum milleſimum quingenteſimum nonageſimum.*

Inſigni ſanè & admirabili prodigio beati

Ioannis

Ioannis Agni sanctitatem, orbi celebrem fecit Deus, vt quemadmodum inter procellosi maris vortices absque nauis præsidio securus incessit; ita inter hæresum procellas, ad serenam publicæ gloriæ lucem, fœlix eius fama perstiterit. Eodem prodigij genere beati Mauri ex Benedictinorum ordine viri sanctissimi obedientiam: Hyacinthi, itemq; Raymũdi ex ordine Prædicatorum innocẽtiam raramq; virtutem commendauit Deus. Horũ prior non semel Boristhenẽ & Vandaliũ rapidissima flumina sicco pede calcauit, relictis etiam ad nostra tempora vestigijs, quæ Cardinalis Aldobrandinus in Poloniam legatus, postea Clemens octauus, coràm admiratus est. Posterior, regis Aragonum libidinem detestatus, ex Insula Baleari maiori, Barcinonem traiecit, pallio tantum super aquas expanso, veluti solidis tabulis vectus, & tunc quidem centum sexaginta milliaria sex horis confecit, cunctis circum littora stupentibus. Vide insuper similia quædam, de alijs Dominicanis apud Cantipratanum libro 2. apum capit. 29.

Porrò Ioannis Agni inter nostri ordinis beatos connumerati effigies cernitur in vetustis tapetibus cœnobij Insulensis & Brugensis. eiusdem beati Patris meminit Michael pius prima parte historiæ, quam Italico idiomate Bononiæ edidit. Præclarum

verò

verò quod iam retulimus miraculum versu erudito celebrauit Pater Petrus Baccherius Gandensis, Sacræ Theologiæ magister, vir longè facundissimus.

Ardet Ioannes, tenero mansuetior agno,
Cœnobiarchæ olim iussa verenda sequi:
Se commisit ouans pelago, pelagiq́; procellas,
Proterit intrepido certa pericla pede.
Sic qui maiorum iussis obtemperat, illi
(Miracli genus est) dat salis vnda viam:
Rusticus occurrens populus venientia iungit
Agmina, præconi dedita turba suo:
Huc ades, exclamant; diuini semina Verbi
Depromens auidis insere pectoribus,
Et virides ramos, vernantesq́; aspice flores,
Hæc est saluifica debita pompa cruci.

Obijt autem sanctissimus ille pater anno nonagesimo sexto sæculi decimi tertij.

Capvt





B. M. BALDVINVS GANDENSIS

MB.f.

CAPVT NONVM.

De B. BALDVINO Gandensi.



SECVNDVS ex eodem monasterio sanctimonia clarus (cuius quidē nomen ad nos peruenerit) est Balduinus quidam, de quo ex antiquis tabulis hæc à Patre Iansſio accepimus. *Hac hominum ætate fuit in conuentu Gandensi nouitius quidam nomine Balduinus de Axella* (quæ vrbecula est maritima in comitatu Flandriæ, in hæreticorum potestatem nunc redacta) *qui zelo bono hoc institutum nostrum amplexus, propter graues tentationes quibus indesinenter impetebatur, assumptum ordinem deserere voluit; hac potissimum de caussa, quod aliquot antea annis pastoris officio functus in ecclesia, vberes fructus inde ei prouenientes in pauperes erogabat. nunc vero aliorum eleemosinas comedebat, nec alicui subuenire valebat. Prius prædicare, infirmos visitare, confessiones audire, conscientiis aliorum mederi, sacramenta cum multa diligentia atque pietate ministrare solebat; econtra vero in cænobio sub quiete & silentio, & quasi sibi soli viuere cogebatur: quæ res illum male habuit, duxitq; vitam monasticam infrugiferam præ vita sua transacta; nam & decanus Christianitatis (vt vocant) fuerat, & in eiusmodi officijs obeundis strenuè se gesserat.*

Cum

Cùm igitur fratribus eum sedulò cohortantibus vt diceret, & tentationem diabolicam esse dicentibus, ille consolari non posset; firmiter statuit ad pristinam vitam redire. Sic ergo animo constitutus, prius accessit ad altare beatæ Virginis de Rosario, velut supremum vale dicturus, prosternit ei preces: in quibus dum perseuerat diutius, obrepsit precanti somnus, & sic obdormiscenti Virgo mater apparuit duabus puellis sociata, quæ ferebant singulæ cyphum in manibus, quorum alterum arreptum offerebat regina fratri, dicens vt biberet, nomine eum compellans. Balduine (inquit) satis laborasti; bibe modò. Cæterùm ille vt potionem gustarat visa est ei prorsus insuauis & corrugabat faciem. Vnde rogat illum Virgo beata cur sic se habeat, quidve hauserit: ille respondit, potum insipidum, fæcibusq́; permixtum esse: tum alium illi cyphum porrigens, ait, & hunc degusta. Quod vt fecit, rogat illum eadem: Dic iam quid biberis. tum ille: Vinum prorsus optimum, dulcissimum & defæcatum. Ad hæc virgo Regina. Sicut (inquit) maxima est distantia has inter potiones; sic maior est disparitas inter vitam bonam quam ducebas in sæculo, & quam inchoasti modò: nequaquam igitur abijcias animum, sed persta; tibi enim præbebo auxilium. Quibus dictis visio disparuit, & frater confirmatus, in ordine perseuerauit, factusq́; est postmodum pius & feruidus prædicator, & magna cum sanctitatis opinione hoc ex sæculo migrauit anno millesimo ducentesimo septuagesimo tertio.

Non absimili modo nonnullos alios ac compri-

omprimis beatum Albertum magnum, & Raynerium Brugensem, de quo cap. 16. ut religiosum institutum desererent, diaboli molitionibus aliquando permotos fuisse; sed beatissimæ Dei genitricis ope & consilio in sancto religionis proposito ac statu confirmatos legimus. Et sanè, cùm quisque qui Dei monitu arripitur status, sit homini salutaris: illos, magnos in religione progressus facturos, vel olim fecisse existimandum est, quos singulari cura pietatis mater vt in monastico statu persisterent, hortari & impellere dignatur. Quo fit vt maximopere doleamus à nobis nesciri quæ Dei seruus Balduinus toto deinceps vitæ cursu bene gessit; ea enim maxima & præclarissima fuisse non ambigimus. Siquidem non potest beatus non esse & beatè non viuere, qui de Virginis matris auxilio securus, viuit. Qui diuino nectare per manus Deiparæ oblato ebrius est, ruit profectò in amplexus Virtutis; & vinariam Christi cellam assiduò cogitat, ex qua castus, melleus, charitatis plenus liquor promptus est quem gustauit. Vanas mundi delitias odit, torrentem veræ voluptatis desiderat, cupit inebriari ab vbertate domus Dei, & celeri per viam virtutis cursu, instar cerui, ad fontem gloriæ sitientissimus

E anhelat.

anhelat. Ita prorſus vixit Balduinus; nunc verò fœlix, peracto vitæ curſu, obtinet quod optauit; & totus delitiarum pelago immerſus ſuam beatitatem non capit. Vtinam, ô vtinam guttulam vnam amoris, guttulam vnam dulcedinis domus Dei nobis inſtillet; vt tandem deſipiant terrena, & diſcamus cęleſtibus inhiare.

Capvt





B·M·EGIDIVS DE S·AVDOMARO GANDENSIS.

Caput decimum.

De Beato Ægidio à sancto Audomaro.

Ægidium de sancto Audomaro virum pluribus virtutibus excellentem prȩfati monasterij sanctis adscribunt rerum Dominicanæ religionis scriptores. Leander Albertus libro quinto de viris illustribus ordin. Prædicatorum, folio 186. Thomas Cantipratanus libr. 2. apum cap. primo parte 14. Michael Pius prima parte suæ historiæ folio 109. Qui tamen pauca admodum de sancto illo viro commemorant; adeò vt totius vitæ eius seriem nobis inuiderit antiquitas: omni tamen virtutum exercitio excultam fuisse, & ad sanctæ religionis amussim compositam; testantur nobis relicta monumenta, quæ his verbis scribit Cantipratanus, qui se beatum Ægidium vidisse affirmat. *Vidi & alium eiusdem ordinis optimum virum in Gandauo, Ægidium nomine, qui Canonicus apud sanctum Audomarum in Flandria, sæculum dereliquit, & Prædicatorum ordinem intrans, tantum deditus lachrymis, tantum spirituali lætitia & animarum zelo efferbuisse probatur, vt verè sanctus crederetur & esset.*

esset ; & hoc exitus eius monstrauit . Nam cum frater suus carnalis sepeliretur in claustro fratrum, marmorq́; superpositum malè iacens deberet corrigi : Sinite , inquit , fratres , sinite , diu non iacebit immotum , manifestè prædicens se cum fratre defuncto sub eodem marmore sub proximo deponendum ; quod & factum est . Sed & fratre quodam narrante mihi , qui ante ipsum resedit die proxima moriturum , didici , quod quærenti sibi quomodo de se sentiret: respondit dicens, bene , frater carissime , bene me sentio ; quia tribus diebus tantum in purgatorio hinc exiens expurgabor , & statim postea per Dei misericordiam ad gloriam euolabo . Pretiosam illam Venerabilis Ægidij mortem, quæ vita præcesserit, quæ corona ac gloria exceperit , suspicari quisque potest; nos singula admiramur & Deo totius gratiæ fonti gratias referimus.

E 3 CAPVT



Caput undecimum.

De B. Odone Gandensi.


Floruit item Gandaui magna apud Deum & homines pietatis celebritate Venerabilis Pater Odo; quem, qui eum vidit Cantipratanus, loco iam dicto, testatur, priusquam in sancti Dominici sodalitatem nomen daret, fuisse iurisprudentiæ laude & publica professione clarissimũ; postea quam vero sacram religionem est cõplexus & monasticam exorsus, insigni victoria repugnantem spiritui carnem, ita domuisse refert, vt solo pane & legumine ad finem vsque vitæ corpus aluerit, quod mancipij loco & habuit semper, & ita assiduo castigauit, vt futuris retro sęculis præclarum reliquerit parsimoniæ & abstinentiæ exemplum. Meminerunt eius cum splendido sanctitatis testimonio, quos capite superiore retulimus scriptores, è quibus coętaneum & Odoni familiarem Cantripratanum audere licet. *Alium etiam vidi fratrem ordinis Prædicatorum, Odonem nomine, in iure regentem, virum*

rum sanctum & bonum; qui raro volebat comedere quod seminali fluxu ab animali descenderat; sed olere vel pisa corpus sobrium reparabat. Huic in ingressu ordinis vitæ suæ terminus reuelatus est; & hunc fratribus certo die ante obitum reuelauit.

Porro præclarum est, beatum hunc virum eximia illa vitę austeritate, & perpetuâ per raram abstinentiam carnis maceratione, alterius Odonis viri ex Carthusiensi ordine sanctissimi, qui eum supra viginti annos præcesserat, seueriorem disciplinam & summum vitæ rigorem, exactissimè fuisse imitatum & assecutum. Plura de priore illo Odone refert Abrahamus Bzouius in Annalium Baronij supplemento ad annum millesimum ducētesimum quadragesimum; pauca ex eo hic inscribimus. *Vir Dei lectum ligneum instar craticulæ, & stratum de vili sacco sarmentisq; asperis confecit, atque vitam sanctissimam duxit. Vestimenta lanea aspera portabat, desuper straminea. Cilicio ad nudam carnem continuo vtebatur. Carnem nunquam gustauit. Omni tempore, præterquam diebus Dominicis ieiunabat in cibo quadragesimali, ac pluries tantummodo parum panis sumebat. Tempore quadragesimæ, quotidie exceptis diebus Dominicis corpus suum disciplinis affligebat.* Hæc Bzouius: qui plura Odonis miracula prosequitur, atque

inter alia ſcribit diem obitus illi diuinitùs præmonſtratum: quód noſtro etiam Odonii contigiſſe Cantipratani teſtimonio retulimus.

Commendantur etiam ex eodem cœnobio ab inſigni ſanctitatis opinione, Pater Leuinus Bondus, Pater Ioannes de Blocq, & Pater Antonius Rigermanus; qui initio ſæculi decimi quinti, magno cum religionis noſtræ ſplendore floruerunt.

Capvt




B.M. ODO GAN=
DENSIS.
B.M. GVINANDVS
TRAIECTE

Capvt dvodecimvm.

De beatæ memoriæ Gvinando *Traiectino.*



TRaiecti floruiſſe Guinandũ quẽdã ex ordine Prædicatorũ probatæ ſanctitatis virum, prodũt varij ſcriptores, adeò tamen breuiter vt plane dolendũ ſit deliteſcere tã præclara ſanctiſſimi viri merita. De hoc igitur Guinãdo ita ſcribit Leãder lib.5. de viris illuſtribus fol. 186. *Guinandus Theutonicus vir vita venerabilis, deuotione præcelſus & ſanctitate conſpicuus, aliquando poſt prandium hoſpitum domum (* id eſt cœnaculum in quo hoſpites extra commune refectorium tractari ſolent) *ingreſſus, cellario præcepit vt afferret fratribus & ſibi vini cyphum. Quo reſpondente per triduum antea vinum defeciſſe, nec eſſe quod apponeret: iubente ſancto viro, fratre ad dolium vt hauriret aduentante, vltra ſpem plenum inuentum eſt. Cæteris verò fratribus diu ad augmentum miraculi, poſtea vinum inde ſubminiſtrauit. Hoc autem factum fuiſſe piè credendum eſt, oratione & meritis viri Dei Guinandi, tunc dicti cœnobij Traiectenſis præfecti, circa annum ſalutis 1236.* Plura de hoc viro Dei non vidimus, cũ

tamen varijs miraculis claruisse scribit Antonius Senensis in chronico. fol. 55. sed nulla commemorat.

Porrò cùm duę sint celebres Belgij vrbes quæ Traiecti nomine appellantur, Guinandum profecto Traiecti ad Mosam in Brabātia floruisse ac priorem egisse constat: etenim Vltraiecti in Hollandia fuit demum extructum cœnobium anno *1254*. beneficio Guilielmi ex Comite Hollandiæ, Regis Romanorum, quem B. Albertus Magnus, post illius inaugurationem Aquisgrani magna procerū imperij pompa, & solenni ritu peractā, Coloniæ cōuiuio exceperat anno 1248. & vt Traiectum superius seu Hollādicum fratres ord. Prędicatorum sua authoritate & munificentia induceret, exorauerat. Vide Bzouium tomo *13*. Annalium, anno iam relato. Tūc verò desierat in his vitæ nostræ ęrumnis esse Venerabilis Guinandus viginti antea annis, quarto anno ab incepto monasterio Mosæ-Traiectensi. Quare cum vęrisimile est fuisse vnum ex primis fundatoribus illius conuentus, imò & primum quidem Præfectum seu Priorem; quem insuper non autumem Belgam fuisse, sed è Germania superiore in Belgicam missum; consentiunt Leander & Senensis, qui eum Theutonem appellant.

CAPVT



B.M. HENRICVS A CALSTERIS. LOVANIEN

Capvt decimvmtertivm.

De B. Henrico a Calstris Louanienſi.



Ertivm Virtutis Dominicanæ in Belgio theatrum erectum eſt Louanij, anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo octauo, ex quo plurimi ac clariſſimi viri in Eccleſiæ vtilitatem & ſplendorem prodierunt. Nos hoc corollario ſolam ſanctitatem proſequimur, quâ præcipuè eo in loco claruiſſe Henricum ex nobili proſapia Calſterorum, refert hiſtoria Theutonica, ſuperioris ſæculi anno duodecimo Antuerpiæ edita in folio, quæ Henrici meminit lib. 1. cap. 2. Eundem beatis Brabantiæ annumerat Ioannes Molanus ciuis & Theologus Louanienſis libro decimo & vndecimo rerum Louanienſium. Extant autem fragmenta tum vitæ tum reuelationum beati Henrici in bibliotheca rubeæ vallis iuxta Bruxellam, à pio ac vetuſto auctore Ioanne Gilemans illius monaſterij priore deſcripta; quorum hic ſubnectimus bonam partem.

INCI-

INCIPIT PROLOGVS IN VITAM Venerabilis F. Henrici de Calstris, Nobilis Louaniensis, de ordine Fratrum Prædicatorum.

Mirabilis Deus in Sanctis, qui facit mirabilia magna solus, cuius delitiæ sunt esse cum filijs hominum. hic plantauit paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat; & ascendens fons de terra diuisus in quatuor flumina, vniuersam superficiem terræ irrigauit, & quia amor non permisit eum esse sine germine (vt dicit Dionysius)ideo in fine sæculi hortum delitiarũ, quasi paradisum in benedictionibus dulcedinis, Ordinem fratrum Prædicatorum, mundo iam arido, fructiferum complantauit; quem fons totius gratiæ in quatuor euangeliorum fluminibus, ac Doctorum riuulis tam fœliciter irrigauit, vt potum largè tribuat sitiẽtibus vniuersis Dei iustitiam. De quo virgulto, Regis manu Dei consito, totplantæ floridæ vernantes, & altæ Cedri Libani certatim pullularunt, vt mundi cingant ambitũ, & eum repleant mirifico ac limpidissimo lumine scripturarum. Hi sunt alũni sapiẽtiæ, qui missi vocant ad arcem gloriæ, & ad mœnia supernæ ciuitatis, viri doctrina sana lucidi: de quorum numero quos fœlix Ordo germinauit, fuit F. Henricus de Calstris, forma patientiæ, Religionis norma, & exemplum omnium virtutum. De quo fauente Domino & eius adiutorio; quædam miracula quæ

Dominus per eum operari dignatus est, scribere proposui breuiter & succinctè; ne lucerna sub modio lateat, sed palam fiat omnibus manifesta. Opera enim Dei honorificum est reuelare, & confiter ifidelibus ac deuotis. Explicit Prologus.

INCIPIT VITA EIVSDEM.



GITVR vir Dei F. HENRICVS DE CALSTRIS *natus in ciuitate Louaniensi, de nobilissimo genere Calstrensiū, & ibidem ordinem fratrum Prædicatorum professus, missus est Parisios ad studium; vbi nocte quadam, dum in cella more solito studeret vel oraret, extinctum est lumen candelæ eius coram eo; & statim circumfulsit eum lux clara, & audiuit quasi muliebrem vocem resonantem. Qui stupefactus ait, Domine Deus meus quæ est hæc vox quam audio! Ego sum, inquit, Maria mater Christi. Cui ille: O Domina mea dulcissima, ostende mihi faciem tuam gratiosam. Quæ respōdit, adhuc puer es; cresce & videbis me. & adiecit, Frater talis qui inclusus est quasi suspectus de subtractione libri tui, est innocens; sed diabolus subtraxit eum, vt te & tuum Conuentum perturbaret. Sæpe adhuc te perturbabit, sed noli timere, quia tecum sum; & ora semper. Diabolus autem dictum librum coactus reportauit. cui Frater Henricus dixit, quare hoc fecisti? cui respondit, propter causam quam tibi Domina dixit. Hæc fuit prima visio ei facta.*

Accidit

Accidit vt frater Henricus fessus & læsus in crure, venit in villam nomine Muscya, & rogauit quendam presbyterum vt socium suum iuuaret ad missam: ipse verò posuit se ad pausandum, statimq; apparens ei mater Dei benedicta dixit, Quare non adiuuas fratrem tuum ad mißam? at ille, quia læsus sum (inquit) & fessus, quæ respondit: Ignoras quia te iuuare poßum? presbyter ille non est dignus vt ambulet super terram. Tunc ait F. Henricus: O pijssima Domina, volo missam celebrare? cui ait, Non, quia ad hoc te non ordinasti neque præparasti; sed quia mißam non dixisti, à me hodie solatium non habebis, & disparuit. Ipse autem tristis manens ac mœrens illa die cibum non gustauit: adueniente verò nocte apparuit ei Angelus Dei ferens vasculum, quasi pixidem æneam, plenum liquore miri saporis & odoris; qui dixit, Bibe: quo gustato confortatus est viribus in tantum, vt stupens miraretur.

Venit frater Henricus quandoque ad funus cuiusdam fratris Minoris Coloniæ; cuius anima apparuit ei dicens: Tu soles orare pro defunctis, per dimidium diem fui in purgatorio, & iam duxi mecum de purgatorio 24. animas, pro quibus Deum exorasti.

Quadam vice venit ad quandam villam, & petijt hospitium propter Deum; & respondit hospita domus. Non habeo quod vobis sufficeret, cui ille ait: Tectum nobis concedas. cùm autem apponeret id quod habuit, panem nigrum, lac, caseum & ceruisiam tenuem,

nuem; ecce mox ingressus est iuuenis portans duas similas albas, & discum magnum plenum piscibus, & recessit; factóq; signo crucis tenuis ceruisia mutata est in vinum, & extorsit hoc à socio suo vt non diuulgaret.

Sensit hic quadam die dolorem cordis & factus est quasi mortuus, statimq; adfuerunt dæmones infiniti clamantes & dicentes, Noster es, & nobiscum ibis; & tamen eum non tangebant. post altercationes plurimas apparuit lux magna, statimq; turba illa dæmonum euanuit, & audiuit vocem Beatissimæ Virginis Mariæ dicentem: Ego sum; noli timere. & ille: O mater misericordiæ, quare hoc Dominus meus Iesus Christus filius tuus fieri permisit? At illa ait: Per hæc quæ passus es, purgatum est quicquid in te erat criminosum. Et scias quandocunque cessent homines te perturbare, dæmones te impugnare non cessabunt; citò finis erit; sustine patienter.

Alia vice inuenit dæmonem in specie pulchræ mulieris in loco suo; qui saltans super eum pedibus suis fortissimè conculcauit, & cum calceis suis eum fortissimè verberauit, dicens: Tolle eos, & fuge. quod non fecit, sed eos reliquit in ambitu: non enim poterat eos extra claustra deportare. nec mirum, quibus pedes annunciantis pacem in præparationem Euangelij fuerant calceati.

Quadam vice desiderabat multum videre expositionem super illud verbum Pauli, Scio hominem raptum, &c. *sed liber erat clausus; statimq; Beata*

Virgo attulit illi librum, & legit illum passum de raptu Pauli, & ait: Non intelligo quæ lego. Et Beata Virgo ait: Si intelligeres, anima tua sic esset in his absorpta, quod legere vel studere non posses. nec intelligere poteris quamdiu anima tua fuerit corporali specie alligata, nec Paulus potuit anima ad eius corpus reuertente, sed ex nunc tibi confero quod intelliges quicquid de cætero leges in sacra scriptura, quãtum ad salutem tuam pertinebit, Nunc ergo vade & lege missam. Tu confiteri decreuisti quod fratri tali pro suo bono durè respondisti, scias quod in hoc non peccasti; sed illud confitere, quod peccatum non reputas, quod nimis diu sedisti in porta fabulando, & post, tepidè cõfessus dixisti missam cũ modico feruore.

Fuit quidam qui nullo modo voluit credere his quæ de sanctitate ipsius dicebãtur, vnde accidit quod idem frater vidit tribus vicibus lumen magnũ in altari, quando F. Henricus missam celebrauit; & tunc dixit: modo credo quod vera sunt quæ de eo dicũtur, & responsum audiuit, Amen. Nunc bene dicis.

Quadam vice venit prope Moguntiam ad quendam militem qui infirmabatur, & dixit ad eum: Missus sum à Domino, vt confitearis; quia morieris, & non viues. Non credo (inquiebat ille) quia iuuenis sum. cui F. Henricus, crede mihi & scias, quia infrà triduum morieris, ne ergo differas confiteri. Et ille: Non faciam, inquit: Ego enim me obtuli diabolo, & eius sum. Cui F. Henricus, Nescis quia Christus misericors est, & pro te mortuus est in cruce, nec vult te perdere nec dãnare? statimq; ille flens & eiulãs, validè

contritus est, & deuotè confessus est: non enim ante decenniū fuerat confeßus,& rogauit F. Henricum vt ei in morte adeßet, cui F. Henricus dixit, non, sed B. Dei mater aderit, quæ etiam cum multis virginibus adfuit,& ille transijt sine purgatorio propter validissimam contritionem quam habuit in extremis. Ipse enim in honorem B. Virginis in pane & aqua ieiunare consueuerat.

Miles quidam fuit in Sueuia magnam habens deuotionem ad ordinem fratrum Prædicatorum, qui mortuus sepultus est apud fratres in Conuentu Vynpinensi, apud quos elegerat ecclesiasticam sepulturam, licet castrum ipsius à loco supra dicto longè distaret. Illo in tempore missus est F. Henricus ad dictum Cōuentum pro Lectore; qui cùm audisset à fratribus mirabilem affectum quem habuerat ad ordinem, intimè orauit pro anima eius, quamuis eum non viderit. Vnde accidit quod circa anniuersarium diem obitus eius quadam neptis ipsius militis, cùm ex magna deuotione in capella prædicti castri oraret, subitò circūfulsit eam lux magna,& pauescens de lumine, audiuit vocem dicentem sibi: Noli timere, ego sum. Et adiecit: per orationes F. Henrici Lectoris in Vynpia, qui me viuum non cognouerat, liberatus sum Dei gratia à longo purgatorio, precor te vt ei gratias agas. Tunc illa dixit: Non noui hominem, da mihi signum vt agnoscam illum: qui statim transformatus apparuit in forma Fratris Henrici, & eidem dixit; Talis est species eius & forma, & sic illum cognosces: statimq́ disparens ab oculis eius

cum ingenti lumine cœlos aſcendit. Poſt aliquot dies accidit quod frater Henricus cum ſocio tranſibat iuxta prædictum caſtrum, & neptis prædicti militis deſcendens caſu de caſtro, eidem improuisè occurrit; & ſtatim cognouit eum per formam ſibi demonſtratam, quæ ſalutans eum reuerenter ex nomine, inuitauit eum ad prandium, ac gratias agens recitauit cũcta per ordinem, prout ſuperius ſunt expreſſa.

Duo fratres ex ordine Prædicat. erant in villa quæ dicitur Bonna, & vnus eorum infirmabatur. B. autem Virgo dixit F. Henrico, Vade ad illum fratrem, quia morietur, & audi confeſſionem eius; ipſe enim oblitus eſt talia peccata, & ſunt hæc. Ego autem præſens ero in eius morte & ſaluabitur: qui ſtatim perrexit ad illum, & reduxit illi ad memoriam illa peccata; & ille flens ait, Verum eſt, ſed oblitus fui: Frater autem Henricus abſoluit eum; nec voluit illi dicere vnde hoc ſecretum haberet.

Duæ paupercula mulieres venerunt ad domum fratrum in Colonia, vt confiterentur fratri Henrico, ipſe autem diſtulit, & feſtinanter iuit ad ciuitatem: & cùm eſſet in via, audiuit vocem dicentem ſibi, Parum habes agere, quò pergis? reuertere & audi pauperculas illas. tamen adhuc proceſſit vlterius vſque ad locum quendã vbi erat pulcherrima imago Beatæ Virginis depicta; & intuens in faciem eius vidit eam ſudore madentem, & cùm deuotè rogaret B. Virginem vt ſciret quid hoc vellet, audiuit vocem dicentem, reuertere & audi pauperculas: ipſe autem ſtatim reuerſus audiuit eas.

Ante obitum suum visitauit eum Petrissa de qua suprà dictum est, & cùm grauiter ægrotaret, interrogauit si absque purgatorio transiret ad gloriam. Cui respondit dicens, B. Virgo in hora exitus mei animam meam suscipiet, & plusquam trecentas animas mecum de purgatorio adducam.

In fœlici eius transitu qui fuit 18. Octobris, ipso die S. Lucæ (vt patet ex libro anniuersariorum fratrum Prædicatorum Louaniensium) monstratum est cuidam deuotæ personæ quod Purgatorium illuminabatur; per quod transiuit sicut per ostium, & adduxit secum trecentas & 30. animas, quas pro amore sui dilecti liberauerat Dominus.

Quadam vice apparuit prædictæ Petrissæ, & dixit ei: Fratri meo Ioanni dicas quod non diu viuet, sed ad aliã vitã trãsibit; & quod sit humilis, & quod non quærat solatium in creaturis; quia ex tali solatio sequitur cordis turbatio: in solo autem Deo inuenitur vera consolatio, & plus faciat pro inimicis suis & sibi contrariјs, quàm pro amicis, & Dominus infundet sibi gratiam ac dulcedinem maiorem quàm excogitare posset, vel habere in omnibus mundi huius creaturis. Qui enim contempserit modicum solatium seu vanum colloquium propter Deum, minuetur eius purgatorium; & eius meritum & præmium augebitur hic & in futuro.

Quædam mulier cœca fuerat annis quindecim, & veniens ad sepulchrum eius visum recepit.

Quædam alia cecidit in phrenesim, & allata est terra de sepulchro eius, ac ligata super caput eius, &

descendit statim materia morbi in ventrem eius, & ibi etiam ligata plenè sanata est.

Quadam vice apparuit Petrissæ prædictæ, & sic loquutus est; Benignissimus & multum misericors est Dominus Deus, quoniam si maximus peccatorum totius mundi diceret contrito corde, Domine peccaui, miserere mei: pius Dominus misericordia motus statim concedet veniam deprecanti. &, si homines hoc diligenter aduerterent, Deum meritò super omnia magis quàm faciunt diligerent; & pro modica dilectione ac pœnitentia parua, longam purgatorij pœnã euaderent, etsi restaret tempus centum annorum.

Item apparuit præfatæ Petrissæ, cui illa dixit: Domine, mihi videtur quod gaudium tuum magnum sit apud Dominum, & merces tua magna nimis, quia nunc appares valde gloriosus, lætus & iocundus: qui respondit ei, non mireris; quia gloriam meam enarrare non possent omnes qui nati sunt ab origine mũdi, vel qui vsque in finem sunt nascituri: quia coram me est fons ille pietatis quẽ totus sitiui, & immersus sum in illam diuinitatis abyssum, ac totus absorptus ac fixus in æterna, summa, dulcissimaq; fruitione excellentissimæ Trinitatis.

Hæc scripta sunt ad laudem & gloriam Saluatoris, qui nostram excitet pigritiam, & ad virtutem prouocet exemplis seruorum suorum fidelium qui nos præcesserunt ad gloriam: quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit in hac vita; hanc Domine Deus præparasti diligentibus te, vt totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat

ciat

ciat dignitati dilectionis tuæ. Deus dirige nos in superelucentem & subtilissimam veritatem, vbi noua & abscondita sunt mysteria: & fac nos temporalia cuncta transcendere, vt super omnia videamus & sequamur te, per quem facta sunt omnia, & absoluto puroq; mentis excessu ad superessentialem diuinorum luminum radium pertingere valeamus. Quomodo autem hoc fiat docet non doctrina sed gratia; desiderium, non intellectus humanus; gemitus orationis, non studium lectionis; non homo, sed Deus noster qui ignis consumens est & totaliter inflammans, excellentissimis vnionibus atque feruentissimis affectionibus in Deum transferens quos Christus accendit in camino suo ardentissimæ passionis; qui est Deus benedictus in æternum & vltra. Amen.

Nonnulla, quæ à pio illo scriptore, in vita B. Henrici adferuntur, quæ sanè admiranda sunt, omisimus ob caussas; quarum vna est, quod desideremus ea edi ab ijs qui correctiorem codicem, & magis accuratum Apographum nacti fuerint. Quod speramus propediem futurum.





B.M.THOMAS CANTIPRATANVS CONVENT, LOVANIE
M. bas f.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De B. Thoma Cantipratano.

HVNC sibi locum vendicat aliorũ beatorum illustrator, & ipse quoque beatus, Thomas Cantipratanus, Conuẽtus Louaniensis olim Supprior, vir omni laude spectatissimus. Eius vitam literis consignauit Ioannes Gilemans; cuius extat in Rubea valle manuscriptus codex, nos quæ ille scripsit hic reponimus.

GESTA VENERABILIS THOMÆ DE CANTIPRATO, SVPPRIORIS domus Prædicatorum Louaniensium.

VEnerabilis THOMAS DE CANTIPRATO *fuit vir vrbanæ eloquentiæ, & militaris prosapiæ, natus de villa Lievvis S. Petri, iuxta Bruxellam in Brabantia. Quem cum pater suus adhuc puerum ad literarum studium, & vitã cælibem prouocaret; sæpius eidem cum lachrymis & deuotione referre solebat: Cùm mare (inquit) transissem, terram sanctam ac Ierosolymam visitare, veni in montem quem Nigrum vocant, vbi sparsim multi viri sancti vitam Eremiticam sectando, Domino seruiebãt.*

Qui

Vni ergo eorum peccata mea confessus, responsum accepi me de facili culpas meas non posse per pœnitentiam diluere; sed si filium haberem, & hunc ad litteras ponerem, & fieret sacerdos idoneus Christo, potissimè per hunc me posse iuuari.

Huius consilij occasione Thomas in scholam datus est; cuius pater postmodum, diuina gratia suffragante, tam per ipsum quàm per alios quos publicè in sermonibus vel secretè in consilijs ad orandum pro illo efficaciter inducere potuit, adiutus est multis modis. Pro quo si filius aliquando celebrare distulisset, aliàs impeditus: ipse eidem apparebat in somnijs, & ostensis manibus pluribus plagis liuidis, illum vtique cur filius patrem non iuuaret, sinceriter arguebat.

Hic cùm recenter ad ordinem presbyterij ætate iuuenis accessisset; in confessionibus audiendis vices Episcopi, contra voluntatem, habere compulsus est; quas postmodum in diuersis diœcesibus per triginta annos, & eo amplius, exercuit. Hoc autem cùm in magna cordis formidine inchoasset; cœpit vexatis exterius auribus, ex auditu, interius tentationum stimulis exagitari. Maximo ergo timore & horrore correptus, ad piam Luitgardem in Aquiria, tunc temporis sanctissimam monialem, sicut ad specialissimam sibi matrem, concessit,

accessit, & eidem grauamen suum, dolore tactus, aperuit. Quæ dolens & compassa, in orationem se dedit; & rediens cum magna fiducia dixit: Reuertere, fili, ad locum tuum, & laborem debitum animabus curandis impende: aderit CHRISTVS *protector & doctor, qui & in confessionibus audiendis à iaculis inimici te potenter eripiat, & in defectu scientiæ, quem vereris, addat gratiam ampliorem. Mira res. Ab illa enim die quam diu iniuncto officio vsus fuit, prophetiam Beatæ Luitgardis in se veracissimè fuit expertus. Nam quanto immundiora erant quæ audiuit, tantò minùs ea curauit, minùs in audiendo motus fuit. Intrauit post hæc ordinem Fratrum Prædicatorum, in quo cum laudabiliter per duodecim circiter annos conuersatus fuisset, constitutus est Supprior in Conuentu Louaniensi.*

Quo in tempore, constitutus die quadam apud Treuerim totius Europæ antiquissimam ciuitatem; vidit structuræ cuiusdam mirabilis vestigia, quæ Helenæ Constantini matris palatium fuisse dicebatur, quod ne ab inimicis in periculum ciuitatis præoccuparetur, à ciuibus est destructum. In huius latere à parte Aquilonari oratorium paruum est inuentum, in quo altare ex marmore candidissimo erat, & in latere dextro sepulchrum.

Scriptura

Scriptura verò super sepulchrum in pariete legebatur hoc modo. Sancte Theodolphe nostri petimus miserere. Deposito autem lapide corpus inuentum est incorruptum. Huius reliquias capillorum, & vnguiũ, in antiquissimo monasterio iam dictæ ciuitatis quod Horreum dicitur, cum superinscriptione veteri, hic vir venerabilis adinuenit, & de promissione ciuium, manum vnam de corpore sancti, quod annis ferè sexcentis integraliter manserat, mox abscidit, ac in Louanium ad propriam domum deportauit. Apud Duacum in Gallia tale quid fama vulgante percepit. Nam in Ecclesia S. Amati Episcopi, cùm sacerdos, in pascha, communicato populo, corpus Christi super nudam terram stupidus inuenisset, & flexis genibus eleuare tentasset: mox per se in aera subleuatum, panniculo quo consecratos digitos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo sacerdos canonicos vocat; accurrunt illi, spectant in panno corpus viuificum in specie faciei venustissimi pueri, & mox conuocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tanta cælitus visio denegatur. Venit hic cum alijs in oppidum; accessit ad Decanum Ecclesiæ, cui optimè notus erat, petijt videre miraculum, annuit ille, aperta est theca, concurrit populus, & mox vbi pixis reuoluitur, clamant omnes: Ecce iam video, ecce conspicio Saluatorem. Stabat venerabilis Thomas attonitus, nihil videns nisi tantùm speciem albissimi panis, in nullo tamen sibi conscius quare sacro-sanctum corpus cum cæteris non videret. Nec diu ista secum voluebat, cùm ecce vidit faciem in mensuram ætatis

tis plenitudinis Christi, spineam coronam in capite gestantem, & duas guttas sanguinis de fronte ex vtraque parte nasi per faciem descendentes. Mox igitur, flexis genibus, cum lachrymis adorauit. Surgens autem post hæc, nec coronam in capite, nec sanguinem vidit, sed faciem hominis super omnem effigiem honoratam, conuersam ad dextram, ita vt vix dexter oculus videri posset. Nasus erat admodũ lõgus, directus valde, supercilia arcuata, oculos simplicissimos atq; demissos habebat, cæsariem longã super humeros descendentem, barbam intonsam & sub mento curuatam, exterminatamq; sub rictu iocundissimi oris; ex vtraque parte menti nudas propè à pilis vallículas, vt in iuuenibus apparere solet qui barbam à puero nutrierunt, frõtem latam, macilentas genas, & collum longum cùm capite parũ inflexũ. Hoc schema, hic decor benignissimæ faciei quam vidit. Insuper quadam vice crucem in cælo ex clarissimo sidereo lumine videre meruit, antequam pijssimus Rex Francorum Ludouicus Crucem transmarinam susciperet, anno videlicet 1246. nec (vt asseruit) recolebat se decentius & operosius formatam Crucem, vnquam sub aliqua materia vel figura vidisse. Octenos habere cubitos Crucem ipsam in longitudine sibi planissime visum est. Serenum cælum erat valde, & sine vlla nube in aliqua parte sui, & sub nostro orizonte cælum erat coloris vnius. Vt quot cubitis eadem crux, vt dictum est, præeminebat, pene tot vicibus crucem contra infideles suis temporibus prædicari cernebat. Contigit eodem vices Episcopi (vt dictum

est)

est) agente, vt quodam die Augusti mensis, familia circa messem instantius occupata, facto mane prandio, ipse & diaconus qui cum eo religiosè degebat, rete sumerent, & vt tempus deducerent, ad piscinam latè diffusam pariter accederent ad piscandum. Remisso tamen diacono ad custodiam domus, intrauit hic solus nauiculam ad piscandum: multo ergo nisu capere aliquem, longa die, frustra conatus, circa occasum solis cùm exire tentaret, ecce prædictus diaconus, cum tribus fratribus Minoribus receptis hospitio veniebat. Quos vt vidit Venerabilis Thomas gauisus est, & omissa salutatione præ gaudio, dixit: Per totam diem laborans nihil prendidi, in verbo autem vestro laxabo rete. Et accepta corda vnius qua cinctus erat, retis funiculo alligauit. Prima ergo vice iactato reti traxit in terram octoginta pisces, talis qualitatis, saporis & esus, quales nunquam antè vel pòst in eadem piscina vel alia eiusdem speciei, viderit vel gustauerit. Læti ergo pro facto mirabili, domum perrexerunt, & refectis eis, & reuersa familia, quotquot erant in domo satiati sunt, & missis partibus, his qui sibi non præparauerant, gratias Domino largitori retulerunt. Cùm in illa Dominicæ Passionis sexta feria ante Pascha, ipse in Episcopatu Cameracensi tunc manens, & confessiones audiens in Ecclesia resideret, aduenit puer annorum ferè quindecim, & cum dolore mirabili procidens ante pedes, dixit: Miserere mei, Domine, miserere mei: quia

quia mihi terribile quid accidit hodie. Obstupefactus ergo quid tam horrendum tali puero contigisset; hortabatur ipsum cum lachrymis, vt audacter diceret quid hoc esset. Heu (inquit) Domine. sedebam in campo cum socijs iuxta oues, incidi hastulam ad sagittam faciendam; & ecce hastula sine vllo meo vulnere vel læsura, sanguine tincta est & respersa. Hoc cùm audisset venerandus Confessor, miratus quidem est, & gauisus quod puero nihil grauius accidisset; omen tamen futuri infortunij mox aduertit. Confortatum ergo, admonitum & absolutum puerum dimisit. Nec vix septem dierum spacium intercessit; cùm ecce mater-familias adueniens eundem puerum denunciat grauiter infirmari, & ipsius Confessoris aduentum cum lachrymis præstolari. Nec mora, surrexit ille, & venit ad puerum, qui mox confessus est peccatum in tali ætate grauissimum, quod ei feria sexta post diem Pascha contigerat, & adiunxit: Huius (inquit) sceleris horrore contabui & elangui statim. Nocte autem media, cùm solus iacerem in lectulo, mori mihi visus sum: & ecce viri turpissimi meam animam rapientes, per vallem fumo teterrimam, & longissimam, portauerunt; & in puteum altissimum, flammeis ardoribus æstuantem, quasi molem glaciei frigentem in ignibus proiecerunt. Cumque ibidem miris incendijs cruciarer; ecce vocem audiui, quasi diceretur; Parcatis puero, parcatis ætati: & subitò

ereptus

ereptus sum ac vitæ restitutus. Oculos autem statim aperiens, vidi miræ pulchritudinis dominam astantem & dicentem mihi: Ne timeas, chare fili, doluisti, & veniam consequêris. A te nunc cùm recessero, diabolus veniet in specie sacerdotis: ne credas ei, sed demanda illum cui confessus es ante Pascha, hæc dicens, disparuit. Et subitò astitit mihi quasi vir reuerendus in specie sacerdotis alba indutus, & casula; velut in candida pixide præferens sacramenta; qui me ad confessionem & sacramentorum susceptionē; residens hortabatur. Cumq; signo crucis diutius reluctarer, & ille nihilominus (à remotis tamen) ficta ingereret sacramenta: tandem post longum agonem B. Virginem Mariam inuocaui: & mox seductor ille disparuit, & me petente materfamilias vos vocauit. Hæc vt audiuit Confessor prudentissimus, supra modum miratus est audaciam & præsumptionem diaboli, qui fictione sua temerare tentauit viuifica sacramento, credens atque asserens quod nisi puer fuisset à gloriosa Christi matre præmunitus, accepisset figmenta diaboli: qui per hoc, ad minus contaminatum corpus possessurus introisset. Glorificauit itaque Dominum, & multipliciter benedixit, qui tali puero intelligentiam & constantiam dedit, ac per eum & in eo suæ benignitatis opera confirmauit. Iussit ergo mox parochianum eius presbyterum accersiri, & eum salutaribus sacramentis præmuniri, & sic die tertia ab vita migrauit, & consummatus in breui, tempora periculosa compleuit.

Accersitus quadam die ad compescendas iniurias,

rias, & dissipandas inimicitias, quæ inter duos fratres carnales grauissimæ versabantur, cùm eorum germano sacerdote præclaro; iter arripuit. Vbi ergo sacra nocte ante vigiliam paschæ ambo in cœnaculo iacebant, in spatio trium miliarium aut quatuor à loco ad quem tendebant: venerabilis Thomas ante diem euigilauit adhortans sacerdotem vt descendens inferius ignem in cãdela adferret, qua, inspecto libro, matutinarum officium decantarent. paruit ille, sed cum candelam accendere debuisset, tanto tremore concussus est, quod sine igne recurreret, dicens; Ignem ad præsens non habeo, expectare nos oportet lucem diei. Sicq; ille vitauit mendacium, & pusillanimitatis suæ verecundiam non detexit. Ergo vbi rursus obdormierunt, non euigilauerunt vsq; ad solis ortũ. Excitatus igitur venerabilis Thomas, & se dolẽs tãdiu dormiuisse, surgens è lecto consedit, apertis autẽ oculis, versus fenestram vidit quasi socium suũ caluo capite, nudato inguine atque asinino veretro extẽto velut ad vrinam faciendam, diabolum stantem. Indignatus ergo socio vehementer, cum eum increpare vellet nec posset ablata voce, audiuit mox stertentem socium ad pedes suos in lecto; & clamans voce reddita, dixit ad eum cum stupore surgentem: Ecce (inquit) iuxta me cum quanta inordinatione, in specie tua, diabolus stat ad fenestram, qui me contra te valde commouit. Et hæc dicens, vidit quia malignus ille per fenestram quasi fumus euanuit.

Dictis ergo matutinis festinauerunt ad locum destinatum; nec mora, vbi sequenti die Paschæ celebra-

uerunt, prædicauerunt & comederunt, cùm se Venerabilis Thomas in pomerio, sub dio, ad somnum meridianum deposuisset, & clausisset oculos ad dormiendum; audiuit iuxta se quasi susurrantes aliquos, submissè tamen. Verens autem & cogitans ne fortè aliqui eum expectarent, vt eis satisfaceret aperuit oculos & surrexit; & neminem videns reclinauit se, & clausit oculos. Et rursus audiens iam euidentius murmurantes, surrexit, & tamen nullum vidit. Sed nec tum aliquid de nequitia dæmonum suspicatus, tertiò se reposuit ad pausandum; nec interstitium aliquod, clausis oculis, intercessit; cùm manifesta voce audiuit in hæc verba contumeliæ prorumpentes. Ecce (inquiunt) cum quanta superbia vilis iste dormiens facit nos expectare. Ad hæc igitur verba cùm mox apertis oculis surrexisset, nec aliquem inuenisset: coniecit proculdubio dæmonum iniquitatem, qui & eum turbare voluerunt, & indicium futuræ nequitiæ demonstrare. Quarta enim feria sequenti infra octauam Paschæ conuenerunt amici fratrum illorum quos ad pacem reducere venerat, & inter agendum tanta inter se fratres discordia sunt commoti, quod in eodem loco vbi antea dæmones audierat murmurantes, nisi maxima parentum & amicorum violẽtia restitisset, se inuicem instinctu dæmonũ validissimo, peremisset. Attamen vicit vir prudẽtissimus, Dei gratia, nequitiam dæmonum, & pacem reformauit inter fratres.

Quantæ autem fuerit efficaciæ & discretionis in-
dandis

dandis consilijs, & anxietatibus subleuandis; ex his paucis colligi potest quæ sequuntur. Fuit vir quidam in Brabantiæ partibus decore virtutis & forma conspicuus, quem iuuenem puella lasciuiens impetebat. Nefas autem iuuenis ducens virginem deflorare, stuprum renuit, & aufugit; ac in aspectum familiæ domus quasi tutus à puella resedit. Quem illa inverecundius insecuta, super eius genua sese locauit, & dato graui suspirio miseram animam, euersis luminibus exhalauit. Quem iuuenem grauiter contristatum, quasi reum mortis subitæ in puella, vir discretissimus confortauit; & eius constantiam ac rectum iudicium Dei in defuncta sicut debuit collaudauit.

Existens idem in oppido magno Brabantiæ, Bruxella scilicet, venit ad ipsum quædam puella, rebus tenuis, & formosa, cum multis lachrymis sibi postulans misereri; quam cùm vir honorabilis hortaretur dicere quid haberet, illa cum eiulatu Heu (inquit) me miseram, cùm sacerdos quidam me vellet opprimere violenter, & me oscularetur inuitam, illum auersa manu percussi in faciẽ, & per nares sanguinolentum reddidi; pro quo, vt mihi dicitur à clericis, me Romam adire modis omnibus oportebit. Tum ille, quasi seriose locutus, terruit eam, quasi grauiter excessisset; & tamen iuramentum eius accipiens, quod staret mandato ipsius, dixit ad eam: Sub præstito iuramento tibi præcipio, vt si ille vel alius presbyter, violentiam tibi in osculo vel contrectationibus facere voluerit, contracto pugno validè oculum, si potes, excutias contrectanti; nec in

hoc ulli ordini parcas: quia castitatem tueri licet verbere, sicut corporis vitam. Hæc vt dixit vir vrbanissimus, omnes qui aderant, simul & ipsam puellam, in risum & lætitiam concitauit. Hic tantus vir quid fratribus sui ordinis in suprema contigit necessitate, frequenter audiens; experiri non refugit. Venit enim quadam die in villam sibi ignotam, longo itinere fatigatus, in tantum vt præ debilitate nimia corde mox deficere putaretur. Ingressus itaque cum socio, cùm ille in domo presbyteri nec saltem frustum panis nigerrimi quò familia vescebatur, posset inuenire: inde digressus latè per villam, nihil prorsus, nisi in fine villæ à quadam paupercula fragmen panis furfurei obtinuerunt, donum satis magnum, imò sibi maximum donatiuum. Resederunt ergo sub dio, & de pane illo comederunt; & licet palearum aristæ quæ erant in pane palatum comedentium stimularent, nunquam tamen in vita sua (vt fatebatur) fuit tam suaui delitiarũ edulio delectatus.

Hæc sunt gesta Venerabilis Thomæ de Cantiprato, supprioris domus Prædicatorum Louaniensiũ, in libro qui intitulatur bonum vniuersale de apibus, quem ipse venustissimè compilauit. Composuit & librum de naturis rerum satis vtiliter, cui operi institit per 14. annos antea, satis indefessè. Edidit quoque vitas sanctarum Virginum, Christinæ videlicet mirabilis, & piæ Luitgardis: & tandẽ postquã per sexaginta ferè annos in Dei seruitio perstitisset, transiuit ad potiora, regnaturus cum Christo in æternum. Hactenus pius ille & religiosus scriptor.

At verò quo anno recuperatæ salutis, aut

etiã suæ ætatis, è viuis excesserit Venerabilis Thomas, non liquet: Quidã existimãt obijsse anno 1280. sed nullo certo subnixi fundamento: alij longè ante desijsse putant: Nihil verò pro comperto est.

Porrò nõ abs re erit hoc loco meminisse Dominicani cuiusdã Belgæ Anonymi, Cãtipratano cõsanguinei, quẽ ipse li. 2. de apibus cap. 57. p. 37. à dęmone, speciosam mulierẽ, emẽtito corpore atq; habitu, referente, graui carnis tentatione impetitũ, sed Dei misericordia, superiorem fuisse cõmemorat. *Est* (inquit) *frater ordinis Præd. mihi consanguinitate coniũctus, cui hoc accidit quod subiũgo. Iacebat vno mane in dormitorio mane vigilãs ante primã: & ecce vidit dæmonẽ in specie pulcherrimæ mulieris in dormitoriũ venientẽ, & turbari grauiter cœpit, quod mulier illic & hoc illa hora intrare permissa fuisset, dæmonẽ hanc esse minimè suspicatus. Nec mora, progrediens mulier, se iuxta fratrem in lecto, quasi risu iucundo illũ alliciens, collocauit. Qui statim horrens, & se signare volẽs, nec valẽs, dorsum tandẽ ad parietem ponens, & pedibus latus illius cõcutiens, cũ, pugno, eius faciẽ percutere voluisset; os dæmon latè diffusum aperuit, & à lecto detrusus cecidit, & sic repẽtè disparuit. Tantus autẽ colluctantium fratris & dæmonis strepitus vt à fratre in proximo iacente lecto & stupente, clarius audiretur. Clamare autem frater passus violẽtiam dæmonis cùm voluisset (vt mihi narrauit) non potuit: sed tantum quasi mutus irrugijt.*



B. M. SERVATIVS LOVANIENSIS.

Caput decimumquintum.

De Venerabili Patre Servatio *Louaniensi.*

Meminervnt cuiuſdam Patris Seruatij eiuſdem profeſſionis & loci, Leander Albertus, Hiſtoria Theutonica, & omnium primus B. Thomas Cantipr. qui Seruatio familiaritate coniunctus fuit, & eum ſingulari amore eſt proſecutus. Singula quidem præclarè ab eo facta non narrat; paucis tamen raras eius virtutes, pręcipue pacis ſtudium incredibile, eximiam erga proximos charitatem, & Euãgelicę humilitatis atque manſuetudinis gratiam incomparabilem mirificè extollit. Sic enim ſcribit: *Vidi & alium eiuſdem ordinis in eodem loco*(cõſtat autem loqui de ordine Præd. & cœnobio Louanienſi) *Seruatium nomine, dilectum valde mihi, & in amicitia ſpecialem. De iſto beatiſſimo & emerito valde viro, fratres qui cum eo in ordine Prædicatorum triginta quinque annis fuerant conuerſati, veritate teſtatiſſima referebant, quod in tanto temporis ſpatio ex quo intrauerat ordinem, nunquam fratrem, nunquã hominem ex ſua culpa, aut incuria perturbaſſet. Humilitatis & manſuetudinis tantæ fuit, quantæ nunquam hominem memi-*

meminerim me vidisse. Compassionem verò & charitatem erga proximos miram & vehementem habebat. Hic mortis exitui debilitate corporis appropinquans, oculis & manibus cælestibus inhiabat. Cùm autem à fratre quodam rogaretur vt sibi super pace conscientiæ suæ responderet: dixit humiliter & deuotè; Pax certa & firma est inter me & nostræ salutis auctorem; nec vllo modo diutius eius contemplatione frustrabor. Hæc Cantipr. Sed ô beatæ vitæ finem longè fæliciſſimum! beati verè pacifici, qui tam ſecuri de Dei viſione, ipſis à Chriſto vnico pacis magiſtro promiſſa, ex hac vita decedunt. O æternam eorum mercedem, qui humilem Chriſtum fœlici imitatione ſequuti, ex illius magiſterio didicerunt de ſe nihil ſentire, bona de reliquis, omnes ſequi, nemini præire, quia Deus ſuperbis (qui cùm vermes ſint multa ſibi arrogant) reſiſtit, humilibus contrà dat gratiam. Ita in virtutis ſchola doctus Seruatius charitatem toto corde complexus eſt, manſuetudinem animiq; ſubmiſſionem aſſiduè coluit, pacem omni diligentia ſectatus eſt dum vixit: iam verò, nunquam non virentis oliuæ ramo decorus, ſempiterna fruitur quiete, & quæ effari nequimus gaudia, Chriſto largiente obtinet.


Capvt decimvmsextvm.

De B. Conrardo Louanienſi.

Eadem ætate ac loco, inſigni etiã virtutis glcria floruit B. Conrardus; cuius vitæ & geſtorum ſeries etſi nos lateat, præclaro tamen Cãtipratani teſtimonio fateri cogimur eum & morum integritate celeberrimum fuiſſe, & Apoſtolico prædicandi munere cum maximo fidelium fructu & Diuini nominis honore perfunctum, ac tandem beatum finem prioris vitæ merita, cum omnium gaudio & cõgratulatione, excepiſſe. Viuenti longè familiaris Cantip. qui & morienti adſtitit; hæc refert li. 2. c. 1. p. 12. *Vidi & aliũ virum emeritum Conrardum nomine in ordine Prædicatorum apud Louanium, vita & animarum Zelo feruentiſſimo glorioſum; quem cum audiſſem mori, veni ad locum vbi mutus & quaſi ſui neſcius decũbebat. Appropinquante vero hora deceſſus, contra ſpem omnium. oculos eleuauit & manus; & cum lætiſſimo vultu intuitus crucifixum, dixit. Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo, Domine. & cum tertio hoc dixiſſet: demiſſis oculis expirauit.* Illa eſt felix ſors ſanctorum, vt quæ in lachrymis ſeminarunt

minarunt, metant in exultatione; & illud eis sit principium gaudij, quod est finis luctus. Luxerunt in hac vita; sed beati qui sic lugēt: certi enim de promisso solatio, rident in morte, & vultu exultabundo occurrunt beatis Angelis & Angelorum summo regi Christo. Hos inter Conrardus, securus de præmio, dum moritur ridet, exilit è carcere hilaris animus, & in Christi amplexus lætissima sorte procurrit.

Caput





B. NICOLAVS BRVGENSIS.

Capvt decimvmseptimvm.

De B. Nicolao & Venerabili Raynerio Brugensibus.



Celebre est Brugis nobili Flādriæ emporio, ord. Prædicatorum cœnobium, à Ferdinando Lusitano Sancij Regis filio, & Ioanna Balduini Cæsaris filia Flandriæ Comitibus, conditum sub annum millesimum ducentesimū trigesimum tertium. In eo vixerunt viri plures qui magno pietatis studio primam illam Dominicani nominis gloriam auxerunt, & posteris verum Religionis typum expresserunt. Duo è multis omnem temporis, bellorumq; inuidiā constante fama superarunt. Prior est Nicolaus quidam, quem Meyerus in Annalibus Flandriæ ex Walkierorum familia fuisse refert, & primum ex eo conuentu obijsse, atque in claustro ante locum Capituli sepultum, narrat; meminit quoque illius Ioānes Grammaye antiquitatum Brugensium cap. 15. & inter viros sanctitate illustres ex ordine Prædicatorum recenset Leāder lib. 5. folio 196. in hunc modum: *Nicolaus lector fratrum Prædicatorum in cœnobio Brugensi Flandriæ, vir deuotus & religiosus, graui pressus*

morbo

morbo quo vita excessit, obnixè rogatus à fratre lachrymante vt si quid consolationis interius accepisset à Domino, se participem facere dignaretur: maximo exiliens gaudio, ait: Verè accepi, quia Dominus noster Iesus Christus morti meæ se adesse spopondit. Cui frater, & ego (inquit) per eundem Dominum te obtestor, vt digito vel nutu, mihi cùm videris eum præsentem esse insinues. ille respondit: Libenter faciam, dummodo Dominus ipse concesserit. Die postmodum tertia ingrauescente morbo, tabella, dato signo pro more, fratres in infirmitorium concesserunt. Eius igitur fœlicem decessum fratribus præstolantibus, & orationi insistentibus; Nicolaus eleuans manum, prætensoq; in certum locum digito, circùmfusis oculis, cum cantu lenissimo psallere cœpit, In Galilæa Iesum videbimus, sicut dixit; Alleluya, quo dicto protinus expirauit. Hactenus Leander. Eandem rem commemorat Cantipratanus lib. 2. apũ cap. 50. parte 10. Dicitque se ab ijs qui animam agenti Nicolao, & æternæ suæ gloriæ fœlix io præcinenti astiterunt, veritatem accepisse. Porrò merito celeusma canit qui portum fœliciter est assequutus, cecinit Nicolaus qui ad tranquillam omnisque perturbationis expertem vitam transibat, eoque nauigiũ apellebat vbi deinceps non poterit metuere naufragium. etenim (vt de B. Eusebio Vercellensi loquitur sanctus Maximus) gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram spei tranquilla iam in statione composuit,

posuit, & plenam cælestibus diuitijs & æternis mercibus nauem optato in littore collocauit. Fuit autem primus ille summæ lætitiæ Nicolao dies 9. Augusti præuigilium gloriosissimi martyris Laurentij, anno quinquagesimo sexto, supra millesimum ducẽtesimum.

Alter ex eodem Brugensi monasterio, bene actæ vitæ merito insignis, est Frater Raynerius, de quo qui eum vidit hęc narrat Cantipr. lib. 2. apum cap. 10. parte 19. *Vidimus fratrem in ordine Prædicatorum de domo Brugensi in Flandria, Raynerium nomine, iuuenem sagacem ingenio & sæcularibus litteris institutum. Hic statim vt ordinem ingressus est, acriter studio Theologiæ cœpit insistere; sed cùm nondum illuminata mens nec orationibus præparata, stuperet ad lumen, & minus capax animus vento inconstantiæ fluctuaret: cœpit cogitare velle discutere quæ sectarum, Iudæorum, Gentilium, Christianorum potiori veritatis culmine fulciretur. Videbat quidem quod Gentiles & Philosophi naturali ratione regebantur; videbat & Iudæos legẽ à Deo antiquitùs accepisse, videbat & Christianos Euangelicis obseruationibus gloriari: sed quid in his certius tenendũ esset, segnius dubitabat. Cõuenit ergo Iudæos; discussionem legis proposuit. Sed cùm fratres ordinis vidissent ex frequenti collatione hominem fluctuare; arcendum eum à talibus censuerunt. At quoniam arctatus ignis acrior consurgit inflammas; iuuenis in tantum, diabolo stimulante, grauatus est, vt media nocte fugam omnimodam attentaret.*

Statim

Statim ergo vbi ad exitum portæ venit, obuia illi fit maris stella Virgo Maria, ad portum salutis denium reductura. Cui dixit: Fluctuasti à via deuius, & veritatem in fide filij mei te dubitas inuenisse. Noueris certissimè quod diuersis erroribus scatet per orbem Gentilitas: Iudæi nihil solidi tenent, diuersas vmbras sequuntur, nequitiæ tenebris obfuscati: Euangelium verò nouæ gratiæ per hoc veritatem habere probatur, quod charitate, humilitate, & castitate refulget: quæ tria in ordine quem intrasti, purgato mentis oculo prærogatiuè videbis. Ego autem sum mater Christi, patrona ordinis tui, quæ solita pietate passa non sum tuam castam indolem decipi vel perire. His dictis gloriosa Virgo disparuit, & iuuenem confortatum, ac firmatum in fide, in magna cordis iucunditate reliquit. Hic idem in ordine tantùm profecit, vt lector in ordine fieret, & consummatus in breui ad potiora transiret.

Cùm de hoc Venerabili viro nihil peculiare prodat Cantipratanus, quo eum beatorũ numero adscribamus; nõ est quod quispiã miretur nos nihilominus eum his tabulis inscripsisse, quibus solã sãctitatẽ exhibemus: id enim tres potissimũ ob caussas à nobis factũ, quibus inducimur Rayneriũ illũ singulari fuisse dũ viueret, religione clarum, & nunc fœlici sanctorum contubernio beatũ. Primò siquidẽ vir sanctus ac prudẽs Cantiprat. eum in breui consummatũ fuisse (vtique recta viuẽdi ratione) scribit, atq; ad potiora trãsiuisse. Deinde,

Deinde, quod Deipara, materna quadam solicitudine eum ab erroris deuio in veritatis tramitem reduxerit, eo fine (ipsa teste) factum est, ne casta Raynerij indoles periret, sed purus ab omni errore & criminis labe animus destinatam sibi à Deo fęlicitatem cõsequeretur. Postremò, capite 9. suprà monuimus nullos aut certè rarissimos perire aut de salute periclitari, qui in via virtutis & sancto Religiosæ vitæ instituto diuinitus confirmãtur. Iubet id præter exempla eo loco tacta, insigni historia illustrare, quã sanctũ propositũ pertęsis nouitijs vtilẽ, his verbis describit Bzouius ad annum 1234. *Iuuenis quidam delitijs innutritus recenter fuerat in ordinem Prædicatorũ admissus. Paucis post diebus indoluit, quod prioris vitæ iucunditatem reliquisset, & austeritatem monasticæ complexus esset. Magna tamen veneratione & cultu præcipuo D. Dominicum coluit, & die simul ac nocte aram illius frequentauit, licet in momenta acerrimè vrgeretur, vt ad sæcularis vitæ molliciem reuerteretur. Decreuit tandem non amplius sustinere, sed ad sæculum remeare. Noctem itaque vnam qua sine arbitris egrederetur, elegit: clauesq; Ecclesiæ furtim surripiens, iam ire perrexit: prius tamen ad Christi crucifixi imaginem, & ad D. Dominici alteram, quasi veniam eundi postulaturus, accessit. Cùm autem orasset, & ad ianuã Ecclesiæ perrexisset, Christi effigiem quam modo adorauerat, ante ianuã prostantem, & cœnobitam nescio quem sequentem se vidit,*

vidit. Plenus admirationis retrocessit, & in suum locum Christi imaginem esse restitutam cernens, se falsis imaginibus delusum existimauit, iterumq; ad ianuam Ecclesiæ reuertit: sed eandem ibi effigiem ac sequentem se cœnobitam obstupescens aspexit. Pertinax tamen in sententia, sub Christi brachium sese submittens egredi voluit. Sed id brachium imaginis in ianua prostantis, diuinitus de cruce auulsum, grauem pertinaci colaphum incussit, ex quo iuuenis diuinam voluntatem intelligens, ne initam nuper vitam relinqueret, in monasterio non tantùm permansit, sed & sanctè vixit. Hæc ille. Ita ergo Raynerius noster non solum per Dei matrem fuit in veritate instructus, atque in religione confirmatus; sed ne casta eius indoles periret, perpetuo reginæ cælorum patrocinio, vitam sanctè peregit, & consummatus in breui, ad potiora cęlestis patrię gaudia transiuit.

H CAPVT





B.M. IOANNES STERLINVS VALLENCE

M. bau f.

Capvt decimvmoctavvm.

De B. Ioanne Sterlino Vallecenensi.



Allencenas amœnam Galliæ Belgicę vrbem eodem quo Brugas anno, aduenêre Dominicani, & pari sanctitatis merito ac exemplo eximium religionis specimen ediderunt, nihil omittentes eorum quæ hominem beatū & Christo coniunctissimum faciunt. Hinc non pauci ex eo pietatis sacrario, in cælis, cū eo quem crucifixum hic amarunt & prædicarunt, delitiantur.

Solius Ioannis Sterlini memoria ad nos perdurauit, de quo scripserunt Gerardus Lemouicensis libro quem vitasfratrum inscripsit. Leander lib. 5. fol. 193. Taegius prima parte suæ historiæ. Seraphinus Razius lib. de Sanctis ord. Præd. Michael Pius de Viris illustribus eiusdem ord. parte prima, lib. primo, fol. 114. Porrò quę de eo narrantur, ipsius Leandri verbis hic subjicio.

Nec omittendum puto Ioannis Sterlini in cœnobio Vallencenensi obitum. Is igitur nobili stemmate ortus, ægrotus corpore, mente verò validus, tolerantissimus in ægrotatione graui, meditatione altus,

corde lenis, egregius concionator, cuidam amico suo semotis arbitris affirmauit, se per quietem vidisse in domum quandam intromissum, & ibi cum ingenti ac nobilissima societate & gratissima, gauisum, & audisse tale eloquium dulci ac consona harmonia decantari. Iste est qui vitã mundi contẽpsit, & peruenit ad cęlestia regna; exorauit altissimũ & inuẽtus est in numero sãctorũ. *Paucis deinde post diebus* (id enim ei accidit grauissimo & supremo morbo laborãti) *sancto fine quieuit circa annũ Domini millesimũ ducentesimũ quinquagesimũ nonũ. Conuersus quidã in eodem cœnobio graui morbo ac ingenti dolore laborans (porrò in partibus obscanis percussus erat graui vlcere) & à medicis desperatus, accessit ad tumulum viri Dei fiducia plenus, & ibi Dei clementia inuocata, & confidens in meritis viri sancti, sospitatem mox consequutus est.* Hęc Leander.

Eodem vero quo vir Dei obijt anno, Generalia totius ordinis Comitia Vallencenis celebrata sunt, in quibus iussu B. Humberti diligens habita fuit ratio eorum quæ de Ioannis Sterlini sanctitate, communi tũc applausu ferebantur. Porrò veteris in eo cœnobio sacelli parietes tantum nunc extant; in quo, maiorum continua traditione accepimus, sancti alicuius Patris ossa sepulta esse; eius tamen nomen non proditur, & sepulchri locus planè ignoratur. quo factum est, vt hactenus non magna fuerit nostrorum

cura, sacra illa ossa, siquę sunt, peruestigandi; cum etiamsi reperirentur aliqua, incertum foret, alteriúsne ibi sepulti, an Ioannis Sterlini essent.

Capvt decimvmnonvm.

De Venerabili P. Antonino Timmermanno martyre Antuerp. & alijs tribus eiusdem Monasterij pijs Patribus.

DOminicanos anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, Argẽtorato Antuerpiã euocatos suprà narrauimus; sed, proh dolor! nulla antiquæ sanctitatis testimonia nostro hoc infœlici æuo supersunt quæ proferamus; cùm tamen certum sit primos illos Patres, maximam, eam in vrbem, religionis & sanctioris vitæ gloriam inuexisse, & insigni virtutum cumulo deinceps auxisse. Quare primorum illorum Patrum merita, eorumq; qui proximè sequuti sunt priscam religionem, silentio tantum veneramur: quorũdam tamen etiam nomina resque præclarè gestas iucunda gratissimaq; memoria repetimus, qui sub finem

superioris sæculi, inter medios turbarũ ciuiliũ æstus, & insanas hæresũ procellas, in paucis vexati, & testimonio fidei probati, fortes facti sunt in bello, & cõstantis religionis præmiũ nunc consequuti, de infirmitate carnis conualuerunt in gloriam sempiternam.

Præiuit in hoc fidei agone, & sanguine pro Christo fuso nominis sui laudem æternis Belgij fastis inscripsit Pater Antoninus Timmermannus. Is Dunkerchæ maritimo Flãdriæ oppido natus anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, parentes fortunæ mediocris, probos tamen & longè honestos, habuit; quibus magna fuit proles rectè educandi solicitudo. Adolescẽs humanioribus litteris excultus, melioris vitæ desiderio ardens, Antuerpiæ in B. Dominici sodalitatem nomen dedit annos natus viginti vnum; in qua eos fecit progressus, vt prædicandi munere cũ laude perfunctus sit, vtpote vir planè pius, eruditus, & Flandrici, Gallici, atque Hispanici idiomatis ęquè peritus. Hæreses quæ id tẽporis feruebant, acriter & magno atque assiduo concionandi studio est insectatus. Cumq; bellorũ errorumq; incendio arderet Antuerpia, Deo vt & Principi misera seductione rebellis; nostriq; exilio damnati, superiorẽ Germaniã variaq; Belgij loca peragrarent: ille piorũ quos à fide non dimouerat tẽporis iniuria, salutẽ quærens, singulari zelo

& in-

& industria Antuerpiæ hæsit; vbi Catholicorũ domos prout ferebat occasio diligenter circuibat, omnéq; nauabat operã vt qui in illa tũ Babylone fideles supererant, in plenis errorũ vorticibus naufragium non facerẽt, sed in salutis portũ seruarentur. Quod dũ sedulò exequitur, indiesq; plures ac plures Catholici ei in notitiã veniunt; eorũ catalogum conscribit, plateas domosque in schedula notat, quò facilius securiusq; singulos adire & ad fidei constantiam hortari posset. Inter hos ab eo conscribitur Ioannes quidam Tauregny, qui postea priuato quo æstuabat zelo, Guilielmũ Nassouiũ Auraicæ & perduelliũ principem adortus est, eiq; necẽ inferre conatus. Interim, vt sunt astuti & suspicionum pleni, filij tenebrarum, Ioannẽ P. Antonino cognitum, eiq; confessum fuisse; proinde Principis mortẽ, nisi cõmunicato prius cũ Antonino consilio non attentasse, in vulgus sparserunt Caluinistæ, & ad Principẽ pertulerunt. Quidã Antonino schedã illã excidisse ferũt, sicq; cognitũ Ioannẽ istũ esse ex P. Antonino notis. Porrò ad huius prætẽsi criminis obiectionẽ cõprehenditur, & in vincula cõiectus rogatur cuius fidei esset. Respõdit se prout notũ erat Catholicũ esse, & Dominicanũ quidem ac sacerdotẽ. Rursusq;, an Ioannis Tauregny notitiã haberet, eiusq; cõfessionẽ excepisset: quod promptè affirmauit. Instãt Caluinistæ,

num in confessione consilium occidendi Principis aperuisset, aut quid dixisset. Ille se nihil eorum quæ ex cuiusquam confessione nosset, reuelare posse constanter respondit. Quod responsum impia illa dæmonis mancipia pro suo more irridere cœperunt; & post infamia atque horrenda in religionem conuitia, se omninò velle scire quid Ioannes in confessione dixisset, aiũt: equuleos alioquin mortemque minantur. Antoninus verò per Christi gratiam, fidei & propositi tenax, mortem se tanto piaculo anteferre retulit. Quocirca rabiem acuunt illi, & tormentis constantiam sanctæque religionis cultum expugnare conantur. Antoninum pollicibus fune constrictis in altum suspendunt, maximisque ponderibus vtrique pedi alligatis toto corpore distendunt, fustibus cædũt; eoque in cruciatu diu versari patiuntur. Is verò Dei opem ardenter implorans, frequentius illud Dauidis orabat. *Custodi Domine labia mea, vt non delinquam in lingua mea:* & aspirante Martyrum fortitudine Christo, vicit equuleos, & quam minabãtur mortem, cum desiderio expectauit. Hæretici furijs acti, vtrumque (vt aiebant) crimen superstitionis videlicet Papisticæ, & conspirationis in Nassouij exitum, insigni supplicio vindicare decernunt. Ergo fame languidus, carceris situ squalidus, tormentorum acerbitate

fractus,

fractus, solo animo ac fide integer, vultuque hilaris Antoninus, in publicum forum pertrahitur, pleno theatro fidem Catholicam profitetur, eiusq; caussa se libentissimè mortē obire pronunciat, sicque semper sibi præsentissimus, & cælesti auxilio confirmatus, parata tormenta constanter subijt, atque fune primum strangulatus, dein in quatuor partes ferro sectus, Deo se hostiam exhibuit, Angelis lætitiam peperit, Catholicis lachrymas excussit, hæreticis & admirationi fuit & terrori: nunc verò æterna fruitur vitæ melioris fœlicitate. Obijt anno salutis millesimo quingentesimo octogesimo secundo, ætatis verò trigesimo sexto. Vidi ego manibusque attrectaui, & nunc quoque ab omnibus conspici potest in claustro cœnobij Antuerpiensis sacrum Venerabilis Antonini caput, diu quidem alto stipiti ad infamiam ab hæreticis infixum; sed cui nec circumuolitantes corui oculos eruerint, nec solis ardor, pluuiæ, venti, grandines, vllave cæli inclementia pellem detraxerit, nec vermes cerebrum exederint; sed quod, carne, pelle, cerebro, oculisque exsiccatis dumtaxat sæpius circumdederit nocturna lux, insederintq; innocentiæ testes columbę, vt mihi qui viderunt plures testati sunt.

Alterum eiusdem monasterij virum in has tabulas referre lubet, qui quanquam mor-

tem pro Christo non oppetierit, præclara tamen fidei confessione & vitæ integritate insignem nominis sui laudem promeruit. Fuit is Pater Baltazar Dresselius qui cum singulari morum honestate animique modestia præditus esset, incredibili tamen fidei zelo accensus (pro cuius gloria, sacro inquisitionis in hæreses officio fungebatur) adeò omnem errorum pestem detestatus est atque insectatus, vt inter continua concionum exercitia, hæreticos maximeque Anabaptistas, sacris argumentis, eruditisque declamationibus publicè atque acerrimè numquam non perstrinxerit. Quo factum est, vt illum vicissim implacabili odio ac rabie persequerentur hæretici: Quocirca nullum non mouerunt lapidem, quo eum é vita tollerent. Laudabilis est Dominicanis Antuerpiensibus infirmos quoscumque, quocumq; tempore euocãtur, nocte etiam intempesta, visitandi consolandique consuetudo; ex qua, maxima Reipublicæ, eorumque imprimis qui morbo sunt afflicti vtilitas prouenit. Ex hac verò post excogitatas mille nocendi artes, exequendi sceleris occasionem capiunt Anabaptistæ; quare insigni fraude Patrem Baltazarem noctu è monasterio euocant, rogantque animam agenti cuidam adesse, & suprema benedictione migrantem spiritum munire, ac solari velit.

Pro-

Proficiſcitur ille doli neſcius, pietatis verò plenus; nefario proditori comitem ſe iungit, domum intrat, in qua nullus erat æger Chriſtiani ſolatij cupidus, ſed ex Anabaptiſtica ſentina rabulæ triginta rogum quem inſtruxerant cingentes. Hi bene obſeratis foribus hoſtem ſuum Baltazarem conuitijs probriſque laceſſunt; paratam tot aduerſus eos concionum vindicem flammam demonſtrant; veſtes detrahunt, atque efferata barbarie multis probris contumelijſque vicinæ morti præludunt.

Porrò Catholici quidam, Deo id agente, Baltazarem feſtino gradu properantē, quanquam nox obſcurior eſſet, conſpexerant; atque illius quidem lateri hærētem vnum qui pertinax eſſet impiorum dogmatum aſſertor: fraudem nequitiamque illico ſuſpicati, quonam à perdito illo duceretur pius Pater, obſeruāt, domumq; eos ingredi vident, cuius inquilini, improbi erāt hęretici, & ad quoduis ſcelus perpetrandū faciles. Doli & occultę fraudis ſuſpicionē validè cōcipiūt, & quid facto opus, alijs etiā accitis conſilium ineūt, capiuntq;, rei ſanę quæ gerebatur oportunū. Etenim fores pulſant; quibus apertis ędes audacter intrāt, & neci proximū veſtibuſq; iam nudatum Patrem ex ſceleſtorum manibus vi abripiunt atque ad cœnobium reducunt.

Non permiſit quidem Deus qui cūcta inſcruta-

ſcrutabili prouidentia moderatur, Baltazarem noſtrum inter illorum carnificum rabiem, quam optabat martyrij palmam conſequi; probauit nihilominus eum tanquam aurum in fornace, conſtantiamq; ei, ſua benignitate largitus eſt, qua tūc cæleſti auxilio confirmatus paratum incendium non extimuit, & deinceps exilio damnatus, variaque paſſus, aduerſa quæq; pro Dei gloria forti animo tolerauit. Tandem Antuerpiam reuerſus, ſingulari virtutis exemplo & pietatis opinione vitæ reliquum exegit, prędura frequentius ad nudum cilicio cinctus, atque alijs modis carnem edomans: ſicq; ærumnoſam hanc vitam cum beata (vt creditur) commutauit, anno 1588. relicto apud omnes maximo ſui deſiderio, & præclara de ſua ſanctimonia exiſtimatione.

His addere licet P. Henricum Puteanum & Petrum Ruxiū, viros religione cōſpicuos, & hęreticorum furorem pro Chriſti honore, eiuſque fidei profeſſione, expertos. Henricus quidem morum innocentia clarus, ſingulari fuit erga beatiſſimam Dei genitricē pietate, cuius honorem, ſanctiſſimiq; Roſarij gloriā aſſiduo ſtudio atque indefeſſo labore mirificè propagauit.

Cùm verò eiuſdem Deiparæ meritis, & cæleſti prorſus Roſarij virtute, vberes paſſim fructus ſalutis in animis fideliū produceret,

res ei memorabilis accidit anno 1578. Etenim mulier quædam eum accessit solatium auxiliumq; supremo periculo ac rebus pene desperatis petitura. Ea (quid caussæ, non liquet) cacodæmoni se deuouerat, & in fidem infandi atque horrēdi criminis syngraphum dederat: quæ res cum plerosque alios viros pios & eruditos quos illa consuluerat, deterruisset; Pater Henricus insigni in Dei misericordiam confidentia præditus, & singulari beatæ Virginis patrocinio subnixus, męstam mulierem, grauissimeque animo afflictam, & iam Dei dono, admissi sceleris seriò pœnitentem, salutaribus monitis in spem cælestis auxilij erexit; oportunumque tanto malo remedium, vt scilicet in sanctissimi Rosarij sodalitatem nomen daret; sicq; non iam dæmonis, sed Deiparæ cliens conscriberetur, suggessit ac persuasit. arripuit illa consilium, & male actam eatenus vitam, atque imprimis infame illud & funestum anathema magno odio detestata, frequentibus suspirijs, calentibusque lachrymis, Dei misericordiam, Virginisq; matris opē implorauit, & melioribus votis sacra peccatorum exomologesi ritè peracta, synaxim salutis accepit: tandémque precibus ardenter incumbens, sub finem missæ quam pręfatus P. Henricus faciebat, publicum reconciliationis diuinæ testimonium promeruit: quam enim dęmoni schedam

dam prius in fidem æterni sui exitij dederat; ea, ex aere delapsa est, & coacto hoste restituta.

Grande istud miraculum Deiparæ meritis sanè tribuendum est; Patris tamen Henrici ministerio illa vti dignata est, qui Sodalitatis Rosarij Parthenici Præfectum tunc agebat. Postea verò ab hæreticis proscriptus, & iuxta Aquisgranum captus, atque in Castro quodam aliquamdiu detentus, virgis ac vepribus dirè pro Christo cæsus fuit. Obijt Antuerpiæ Ecclesiasticis Sacramentis deuotissime susceptis anno 1594. mense Octobr.

Biennio post fæliciter etiam obdormiuit in Domino, Pater Petrus Ruxius, qui cum magno pietatis exemplo quo cæteris præluxit, plures annos in ordine exegisset, iniuncta sibi munia, præsertim concionandi, diligenter ac cum laude obiuisset; præclarum quoque multa ab hæreticis passus insignis tolerantiæ meritum adiunxit. Is cùm ad pagum agri Hulstani, vulgò *Hensdijck*, prædicandi gratia se contulisset, hæreticis cuncta vastantibus, atque in eum pagum irrumpentibus, ad Ecclesiæ turrim cum incolis, quo barbariem hostium fidei declinaret, confugit. Porrò illam ipsam turrim incenderunt Caluinistæ, & serpente flamma, Petrus ambustus & dumtaxat semiuiuus

miuiuus præda fit ac Bommeliam abducitur, vbi squalido in carcere tredecim mensium moràs traxit : tandémque redimijs expeditis Trudonopolim delatus; ibi, post afflictissimam toto quinquennio valetudinem, & continua ab igne illo, à carceris illius pædore, tormenta; quibus patienter ferendis ipsis quoque fidei perduellibus admirationi fuit: diem clausit extremum.

CAPVT





B M. IOANNES *Harlem.* | B.M. ANDREAS *Harlem.*

Capvt vigesimvm.

De beatæ memoriæ Ioanne, *Andræa*, & *Nicolao Harlemensibus.*

Batavia siue Hollandia insignis Belgij portio, toto est orbe notissima; atque olim quidem principum pietate & multorum Sanctorum (quos commemorat Molanus in Natal. SS. Belgij) gloriâ illustris, nunc verò (quãdiu Deus iratus castigat) omnium hæresum sentina; quæ nullam pene quantumuis impiam religionis formam, respuit; vt sola Christi fides, vetera Apostolorum documẽta, ipsa prisca auorum Religio, procul exulent. Paucula quidem olim ord. Præd. cœnobia habuit; fuerunt tamen illa pręclara virtutis sacraria, in quibus plures floruerunt viri vitæ sanctimoniâ eximij, sed quorum monumenta vnâ cum fide, infęlici naufragio perierunt; monasterijs plane dirutis aut certe profanatis; vt iam sint exedræ impietatis, quæ quondam fuerant Gymnasia veritatis & virtutis. Ita scilicet desæuijt malum, & noxium virus cuncta infecit. Inter funesta tamen illa hæresum incendia, titiones aliquos antiquæ sanctitatis Dominicanorum super-

stites

ſtites eſſe voluit Deus; & viuere etiamnum quorundam nomina ac merita, quæ hoc capite ex veteribus memorijs referimus.

Floruerunt igitur in Hollandia, eiuſque Harlemo, amæno ſanè opido, tres viri, quorũ meminerũt Michaël Pius lib. 1. de viris illuſt. ord. Præd. p. 111. & Leander Albertus, duorũ quidem, lib. 5. pag. 254. tertij vero, lib. 6. pag. 262. Quæ is author de ſingulis ſcribit, eius verbis, dabimus. Primus quidem eſt Ioannes quidam cognomento Vitnoth, quem Theutonicum dicit; ſed tamen in cœnobio Harlemenſi diu vixiſſe, & poſt diuturnos cruciatus à morbo valde infeſto, admirabili patientia (dicã) & lætitia toleratos, probatũ Deo ſpiritum reddidiſſe: ſic ergo habet; *Ioannes Vitnoth vir magnæ patientiæ magnæque in aduerſis conſtantiæ, his temporibus in Harlemenſi cœnobio floruit. Hic igitur diuturnâ & valida vlcerum ægritudine ictus, cũ Auguſtino Beatiſſimo ad Dominũ exclamabat: Domine, hic vre, hic ſeca, ne in æternũ pereã. Domine, lapidẽ hũc tũſionibus bene diſpone, vt in cæleſti ædificio decentius ſublimiuſq; poſſit coaptari. Quippe in feſto Nat. B Mariæ sẽper Virg. magnâ cũ sãctitate ad Dominũ migrauit, circa an. 1475.*

Secundus eſt Pater Andræas Noorth, Ioanni contemporaneus, vt qui biennio tantum illum fœlici tranſitu ad cœlos ſequutus ſit; quem Leander magna animi alacritate, & ob bene ac religiosè actam vitam

ſecuritate, mortẽ expectaſſe imo & exoptaſſe; prodit in hunc modum.

Andreas Noorth, in cœnobio Harlemẽſi Hollãdiæ, vir bonus & deuotus, vita functus eſt anno Domini 1477. Hic ſedulo beatiſſimam virginem rogabat cùm lachrymis, vt eum ex hac luce decedere minimè permitteret, niſi in feſto eiuſdẽ. Igitur ingenti captus ægritudine aſſeruit fratribus, ſe in feſto Aſſumptionis B. Mariæ ex vitâ iſta labili egreſſurum. Interrogantibus vero fratribus, quam libenter vita defungeretur; reſpondit: Hanc, fratres, horam ſemper gaudens animoque læto exoptaui, ac præſtolatus ſum; & vt in eâ me rectè haberem, mundi percalcaui illecebras, & hanc ſanctæ conuerſationis togã indui. Cur igitur æquanimiter mortem non ferre debeam? His dictis paulo poſt obdormiuit in Domino.

Ea ſanè ſunt eximia duo exempla, quę nos imitari neceſſe eſt; Inſignis patientiæ vnum; Alterũ ſummæ poſt bene actam vitã ſecuritatis, & in Dei miſericordiã cõfidẽtiæ. Beatus Gregorius õni virtutũ genere maxim⁹, morbis attritus atque exhauſtus, vitam alterã, illã ſcilicet miſeriarũ expertẽ, trãquillitatis verò pleniſſimã, vehementer expetebat; quod ſub mortẽ, ad Rusticanã patriciã ſcribẽs, his verbis teſtatur. *Me* (inquit) *amaritudo animi, & aſſidua exacerbatio atque podagræ moleſtia afficit, vt corpus meũ, tãquã in ſepulchro, ſiccatũ ſit: Vnde peto vt pro me oretis, quaten⁹ de hoc carcere citius educar.* Ita Ioannes noſter interdũ morbo oppreſſus

 calami-

calamitosæ huius vitæ finem exoptabat, & ad cæleſtem ac beatam, toto cordis affectu æſtuabat: interdum verò, inter alta ſuſpiria, dolores ſuos augeri, & ad eos conſtante animo perferendos vberiorem gratiam ſibi donari precabatur. Sic ſuperiore ſęculo Beatiſſimus Pōtifex ac Dominicani ordinis lumē clariſſimum Pius quintus, morti vicinus frequenter illud ore & affectu repetebat. *Domine adauge dolores, ſed auge etiam patientiam.* Porro quemadmodum Sanctus Ambroſius moriturus, confidenter dixit. *Non ſic vixi, vt pudeat me inter vos viuere, ſed nec mori timeo, quia bonū Dominum habemus:* & Sanctus Hilarion teſte Hieronymo, *Egredere quid times anima mea? quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſeruiuiſti Chriſto, & mortē times?* Ita profecto Andręas noſter, bonum dominum atque æquūm remuneratorem habere ſe dixit; & illi toto corde ſeruiuiſſe, cætera omnia deſpexiſſe, illum vnum ſe dilexiſſe: proinde nihil eſſe cur mortem timeret: ſed potius ingentem ſibi eſſe lætitiam quod moriens Deo ſuo eſſet æternūm perfruiturus.

TER-



B. M. NICOLAVS CONVERSVS HARLEMI

Tertius ex eodem cœnobio, est Frater Nicolaus, vulgo Hollandus, quem aliqui cõuersum seu fratrem laicum; alij tertiariũ tãtũ fuisse scribunt. Quicquid verò sit, certum est Dominicanũ fuisse & Harlemi magna cũ sãctitatis existimatione floruisse. Ita siquidem charitatem, humilitatẽ, obediẽtiã cęterasque virtutes coluit, vt omnes in sui admirationẽ raperet. Cõtinuo operi, cui, pro suo officio ac superiorũ iussu incũbebat, eũ semper scopũ pręfixit, vt singula ad Dei gloriam cæderẽt, & fratrũ quibus famulabatur, vtilitatẽ. Superioribus, vti Christo imperanti, sũmo cũ gaudio obtemperabat; Patribus, vt Sãctis & Angelis ministrabat. Orationi deditissim⁹ fuit; cui vix vacabat quin copiã lachrymarũ profũderet: adeo scilicet cælestiũ rerũ contẽplatione recreabatur, & sũma illi voluptas erat, Deũ quẽ super omnia diligebat, cogitare, admirari ac laudare. Euãgelicã simplicitatẽ, & quẽ Christus Apostolis cõmẽdauit animi candorẽ habere õnimodè studuit, & Deo propitio obtinuit. Plures, illi⁹ (vtpote à miraculo quod hic subnectitur celeberrimi) meminerũt. Leãder lib. 6. de viris illustribus pag. vlt. eum beatum vocat, & hæc de illo scribit. *Beatus Nicola⁹ Hollandinus cœnobij Harlemensis, vir deuotus, & cum vacaret (* scilicet à Domesticis & inferioribus occupationibus*) meditationi atque lachrymis deditus; mira præfulsit obedientia; vt & stuperent*

omnes, atque in exemplum sibi proponerent. Vnum silere nec volo nec possum, quo eius ingens obedientia ostenditur. Sanè aliquando contigit ad prælibatũ cœnobium hospites diuertere, viros moribus probatos & scientia claros, quos cœnobij præfectus abunde ac lautè suscipere cupiens, iussit Nicolaum ad piscinam accedere (forte in ædium ambitu piscinã habebant), & pisces afferre paratos & cocinnatos. Qui dũ sedulo pisces diu perquirit nedũ quempiã prehendit, verũ nec inuenit. Reuersus deinde præfecto rem defert. At præfectus viri sanctitatẽ non ignorãs, vbi (inquit) est, Nicolae, illa tua solita obedientia, vbi charitas erga hospites? Quantocius itaque reuertere, & positis vestimentis ingredere aquas, & sic alloquere pisces: Cœnobij præfectus huc iterum me misit, vobis mandans quatenus ex vestris exeatis cauernis, vosque met mihi prahendendos exhibeatis, quoniam vobis opus est pro hospitibus. Is vero dictum patris audiens, volens diligenter iussa complere, nihil cunctatus aquas ingreditur, & quanta valebat voce inclamare cœpit: Vobis pisces præfectus meus iubet quotquot adestis, vt continuò ad me veniatis. mira res; vix verbis modum statuerat, & ecce Lucius magnus qualis aut quantus nunquam illo in loco visus est, mox sancto viro sese capiendum præbuit. Quo viso, vir Dei gaudio ingenti oppletus, illum cæpit, & pro voto præfecti, hospitibus parauit. Porro non minus hospites vt rescierunt tantã rem, ex prõpta obedientia & miraculo, quam ex cibo gaudiũ & lætitiam sumpsere.

Fœlix nunc profectò ac beatus Nicolaus: de quo post quotidianos sudores in domesticis fratrum obsequijs, & longam in monastica obedientia exercitationem, fidenter dicere possumus, quæ olim de fratre conuerso diligentissime operante, S. Bernardus; & de obediente apud Climacum Achatius, pronunciarunt. Refert siquidem Thomas Cantip. lib. 2. apum cap. 4. p. 2. Beatissimum Bernardum, cum fratrem quemdam conuersum in messe cum monachis vltra vires laborantē conspexisset; Deo intus agēte, corā omnibus præfato fratri dixisse; *Eia F. Age quod agis, nullum aliud post hanc vitam purgatorium sustinebis.* Prodit etiam Climachus gradu quarto de obedientiâ; Achatium in obedientia mirè exercitatum, cum post mortem è sepulchro à sene quodam euocaretur, rogareturque an mortuus esset, respondisse. *Obediens mori nequit.* Viuit Deo Nicolaus, & in hominum recordatione mori nequit. Sudores vitæ huius, Deus illi in alterâ detersit; quæque hic passus est laborando, ab æquissimo iudice, in pœnæ (si qua luenda erat) solutionem, cesserunt.

Caput vigesimumprimum.

De Venerabili Patre Cornelio Petro *Zirixæo ab Hæreticis trucidato.*



INitio turbarum belgicarum cum hæretici ſacra omnia impio in Catholicam religionem odio profanarent, & barbaro furore in clerũ ac Religioſos deſæuirent; Pater Cornelius Petri Gouſanus, ex Zirixęo conuentu, cuius alumnus erat, in Zutbeuelandiam Inſulam concionandi gratiâ à ſuperiore miſſus; dum extra Zirixææ muros nauem expectat, à duobus hæreticis comprehenditur, & fune ad lumbos conſtrictus in mare detruditur, ibi demergitur, huc atque illuc pertrahitur, & ſub quandam adiacentem littori nauem, eiuſque modo vnum, modo alterum latus, cõtis propellitur; ſicque truces illi mortem ei intuliſſent, niſi barbariem hanc conſpicati ex alterâ naue aduenientes Catholici, minis terrorem incuſſiſſent. diu ergo ſic agitatum patrem, ad littus, aliorum minis coacti retrahunt, & nondum exſaturato odio pedibus proculcant, ac tandem fugam inuiti ine-

ineunt, planè luxato & iam tantum ſemiuiuo Cornelio. Quem aduenientes Catholici nautæ, ſtoreæ vimineæ impoſitum, pro ſua humanitate ad cœnobium referri curarunt. Is verò toto corpore fractus, menſem circiter quo ſuperſtes fuit, ſemper ſanguinem in copia expuens, & graues dolores conſtanter tolerans, ſuſceptis cùm deuotione Eccleſiæ ſacramentis, creatori ſuo animàm reddidit anno 1566.

Capvt





B.M. MARGARETA IPRENSIS.

Caput vigesimum secundum.

De B. Margareta Iprensi.



PAuca hoc loco præfari necesse est. Etenim Margaretam ipsam virginem sanctissimam, cuius vitam damus, liquet nullius religiosi instituti seu ordinis regulam solemniter fuisse professam; & quidem ordinis Dominicani cœnobium virginale, Ipris, vbi illa totius vitę cursum continuò peregit, nullum vnquam extitit.

Verum cùm à primis initijs illius ordinis piæ ac deuotæ mulieres cuiusuis ætatis, sanctissima eius instituta, quatenus extra cœnobia poterant in ædibus priuatis; admirabili virtute & sanctimonia obseruauerint, à carnium esu abstinuerint, continua (instar Prædicatorum) ieiunia ab Autumnali festo Sanctæ Crucis, quò eius exaltatio recolitur, ad Pascha vsque, accuratè custodierint, denique ad cætera pietatis exercitamenta Dominicanis peculiaria, voto etiā sese obstrinxerint, atque ad eorum amussim vitam instituerint: existimamus Margaretam præfati ordinis tertiam (vt aiunt) regulam complexam fuisse: siue (quod idem est) ex earum nu-

mero

mero fuisse quas Hispani *Beatas* appellãt, nos tertiarias: quales fuerunt omni ætate plures patratis miraculis clarissimæ.

Porro in eam sententiam adducimur, quod Margareta à sæculi luxu ad virtutis amorem ministerio Venerabilis Patris Zegheri Dominicani adducta fuerit, quod voluntariam paupertatem coluerit, vt patet ex §.*10*.vitę illius,quod carnibus abstinuerit, §. *16*. horas quotidie persoluerit §. 20. communes cum Zeghero superiores habuerit.§. 25.Quibus de caussis nobiscum sentiunt viri quidam eruditi, quorum vnus est D. Aubertus Miræus Cathedralis Ecclesię Antuerpiẽsis Canonicus,& serenissimis Belgarũ principibus ab Oratorio, à quo apographum vitæ B. Margaretæ habuimus.

Sanctissimam ergo virginem hanc Iprensem, nostris meritissimè adscribimus,& quãquam incertũ sit an palã Dominicanorum vestem detulerit, quod ei fuit liberum, & plures nunc sint etiam in Belgio sorores tertiarię,quæ sic illã non deferunt:nihilominus eius imaginem cũ Dominicano habitu hic reponi curauimus,vt cum reliquis ipsa etiam veste conueniat, quæ vitę institutione, illis simillima fuit.

Nunc quis fuerit gestorum B. Margaretæ descriptor obiter dicendum est. Putamus enim fuisse Thomam Cantipratanum: idemque

que scripsit in eius vita vir eximius Georgius Coluenerius S. Th. in hac Duacensi Academia publicus Professor, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præpositus Amplissimus, vniuersitatis Cancellarius: cuius hęc sunt verba. *Extat insuper in prædicto codice Frudonensi, & Domini Miræi, vita Beatæ Margaretæ Iprensis; quæ, vt ex stylo & varijs circumstantijs datur colligere, à nostro etiam Cantipratano scripta est.* Fuit quidem à suo authore vita Margaretę varijs capitibus distincta; nos quatenus illam huic nostrę opellæ inseruimus, commodius per paragraphos distinximus, vt confusio in citãdis capitibus, in quæ etiam libellum hunc secuimus, vitetur.

Postremò aduertendum est, exemplar vitę B. Margaretæ quod nos nacti sumus, & lectu difficile esse, & quod nobis magnas molestias peperit, incorrectissimum. Plærumque enim in eo verba, sententias integras, imo & Capitulorum titulos desiderauimus; interdum eorum etiam ordo immutatus erat: frequens insuper verborum transpositio genuinum sensum planè obscurabat. Quæ omnia, scriptoris cuius authographum Antuerpia acceperamus, incuria, euenisse putauimus: Donec in hac animi anxietate, & obscuritate rerum, in qua nobis sæpissimè diuinandum erat, quænam esse posset germana lectio, & quo pacto à tot passim men-

dis

dis, quæ sanè tolerari non poterant, exemplar illud castigaremus; apographum aliud à præfato Domino Georgio Coluenerio obtinuimus. Et quidem ex eo nonnihil lucis accepimus, & nonnulla genuinæ lectioni restituimus: verum nec ille quoque codex, vndequaque correctus est, prout etiam prædictus vir eximius obseruauit, quãquam fateatur illum cum exemplari Louaniensi ad S.Martinum collatum fuisse.

Quare miramur plurimum ac dolemus, vitam hanc vix integram & fideliter ex primo originali descriptam reperiri: siquidem plura exemplaria mutila sunt, aut certè incastigata ac mendosa. In Louaniensi quidem deest inter cætera Prologus. In Coluenerij & Miræi desideratur capitulum 37. in nostro deerat cap. 44. & titulus sequentis. Denique in omnibus plura alia sunt vel detrũcata vel obscura, vt vix speremus, post tantillum hunc laborem nostrum, omnia fore natiuo stylo & sensui restituta. Porro nonnihil veteri stylo concedendum est, ne quædam putentur errore scriptorum accidisse, quę reuera ab authore cõscripta sunt, cuiusmodi plura deprehendet lector.

INCI-

INCIPIT PROLOGVS AVCTORIS IN VITAM B. MARGARETÆ DE IPRIS.

AMICO & Fratri in Christo charissimo F. Sigero & actione, & ordine Prædicatori in Insula, Frater eiusdem Ordinis cuius nomen ad præsens non vtile nominari: Salutem & bene hoc quod sibi. Tua fama Charissime frequenter excitatus, videre te à multo ante tempore cupiebam. Vnde post Augustum à Parisijs rediens Ipras me venire cõtigit, & videre, vt spero nullatenus sine fructu. Recitante etiam te de illa præclaræ opinionis iuuencula nomine Margareta, miratus sum tantâ nouitate perculsus, & licet ipse dicam, ad melius excitatus. Rogante ergo te vno mane citra otium diei duabus membranis paruulis, memorabilia vitæ illius te narrãte suscepi. Sed heu quod tãtum oportuit me festinare, fratris qui mecum erat, compulsus negotio, quem ante festum Omnium Sanctorum oportebat in Daciam transfretare. Digressus ergo à te, vbi eadem die ante Nonam fessi insudabamus itineri, subito cœlo omni ex parte contenebrato, alluuionem pluuiæ grauissimam timebamus; & hoc eo magis quo remotiores ab oppido distabamus. Tum ego adhuc ex recenti memoria habitæ rerum collationis de sponsa Christi incalescens dixi: Frater rogemus Dominum ob merita illius de qua tanta percepimus, vt nos ab imminenti pluuia tueatur.

tur. Orauimus & exauditi sumus pro sua reuerentia. Credasque quòd in eo quo Christũ testor, subito deplosis nubibus reluxisse cælum serenumq; diem redditum, & residuum viæ in magna iocũditate & gaudio peregisse. Hæc fuerũt Primitiæ bonitatis Spõsæ Christi, quas ego in me, quãquam indignus, expertus sum. In hoc verò quod tempus vacandi habeo, eius meritis prorsus asscribo, quia nunquam postquam Ordinem Prædicatorum ingressus sum, ita cõtinuò vacare Deo, nec mihi potui, sicut ex quo huic operi manum Scripturus apposui.

Suscipe igitur opus, Charissime, quãtum ad materiam multum eximium: Opus verò sicubi corrigendum est, ipse tu corrigas, vel si non vacat tibi, mihi corrigenda committas: quia potius decet vt meis inficiar sordibus, & sordes proprias lauem, quam alium meis sordibus inquinari. Vade & sicut promisisti ora pro me. Saluta ex parte mea Fratrem Iacobum de Halle & alios ex Fratribus quoscũq; vis: maximè autem Matrem piæ memoriæ Margaretæ & Sorores eius, receptoresq; Fratrum nostrorum, Materterã illius cum viro suo, quos omnes simul diuinæ misericordiæ commendo. Explicit Prologus.

INCIPIT VITA S. MARGARETÆ DE IPRIS.

§. I.

De villa in qua nata est.

IN Villa Flandriæ quæ dicitur Ipris, fuit puella quædam nomine Margareta, honestis parentibus oriunda: hæc ab ineunte ætate & à cunabulis Christo Domino sic seruiuit, vt Frater Ordinis Prædicatorum Segerus nomine (a quo omnia gesta eius suscepimus) de ea testimonium perhiberet, nunquam eam ad aliquod mortale peccatum animũ relaxasse. Siquidem annorum quatuor in monasterio quodam posita, à monialibus educanda iam tũ diuini Spiritus habitaculum habilitabatur ad Sãctimoniæ puritatem, & hoc euidentissimo quodam miraculo patenter apparuit.

§. II.

De eo quod quinquennis suscepit Corpus Christi.

N*Ecdum plenè ætatis annos quinque compleuerat, & accidit quod Conuentus Dominici*

Corporis

Corporis sacramenta susciperet, & erat puella præsens, sensitque odorem mirificum. Aduertit ergo, quamuis Deum necdum cognouerat, diuina tamen interius operante & exercēte virtute, quod Iesus salus & saluās inesset altari. Nec mora currens ad Abbatissam Monasterij, orat, clamatq; cum lachrymis se cum alijs cōmunicari. Obstupuit Abbatissa vltra quam credi potest instantiam Infantulæ, & hanc cū lachrymis quærit, quid esset illud quod tam constanter exigeret. Cui illa: Scio, inquit, scio quod corpus Christi est, quod Presbyter conficit in altari, & iam Monialibus datur: hoc peto Charissima Domina, ne frauder obsecro, quo carere non possum. Quod vbi vidit cum cæteris Monialibus Abbatissa, fecit dari puellæ Corpus Domini. O verè beatus Deus & prorsus Omnipotens, qui vocas ea quæ non sunt tanquam quæ sunt, vt ea quæ sunt euacuares. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te, abscondisti ea à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Et vide quo fructu: Ex tunc, idest à quinque annis ter in anno Dominici Corporis Sacramenta sumebat. Ex tunc quoque omnia puerilia fastidiuit, & cœpit amplecti Christum, & ei sacris actibus inhærere.

§. III.

De Disciplinis eius & ieiunio in ætate septem annorum.

Prætereà necdum Septennem ætatem attigerat, & manum suã misit ad fortia, punctionumque Christi sedulo recordata, vrticas & aculeos folliculorum seminis lini in sinu suo ponebat ad carnem. Nouẽ quoque annorum facta, totam antè Pascha ieiunauit Quadragesimam: Sextas nihilominus ferias & noctes Annunciationis B. Mariæ Virginis ieiunauit, ita vt bis in hebdomada in pane & aquâ per totum anni circulum abstineret. Nulla illi vigilia alicuius Sancti, nullum Ecclesiæ ieiunium pertransiuit. Omnia quæ appetitum in hominibus excitare solent, comedere deuitauit, vtpote sunt allia, piper & consimilia. Circa illud ætatis tempus nocte secretò surgebat, euigilansque pedissequa, super terrã inueniebat eam in oratione prostratam. Quis audiuit vnquam, quis vidit talia? ante messem tota prorsus effloruit,

§. IV.

§. IV.

De eo quod Christo Crucifixo compassa flagellauit se spinis, & hoc in ætate Annorum decem.

ANnorum postea 10. animaduertit in Ecclesiâ, Christum in figurâ Imaginis crucifixum, & dixit: O verè salutis nostræ IESV, *pro te nihil in repēdendâ vice hactenus feci: & hoc dicens plorauit vberrimè, & statim sola syluā intrauit, exutaq; vestibus ad nudum hulso (id est taxo) spinisque sese vsque ad sanguinis effusionem verberauit: nec hoc semel aut bis, sed sæpissimè in recordationem vulnerum Christi cum lachrymis faciebat. Quod cum aliquādo aduerterent nutritores, dixerunt. Quid teipsū affligis, cum sis puer & tenera? Respondit: Iam parata sum omne genus tormentorum pro Christo pati, si se tempus vel locus offerret.*

§. V.

De eo quod in ætate annorum decem & octo mundo se implicans Iuuenem adamauit.

PRoinde annorum vndecim quasi legitimæ pueritiæ ætate decursa, cum tamen nunquam ante se cum ludentibus miscuisset, cæpit vehementi Spiritu Virtutū exercitijs inhærere. Et hic feruor permāsit

vsque ad ætatem decem & octo. habens etiam auunculum Presbyterum, hominem per omnia religiosum & pium, & cum eo a puero manens religiosissimè vixit. Quo mortuo accidit illud, quod sequitur. Quoniam nemo vnquam mortalium dicere potuit, excepto illo & matre eius, qui solus inter mortuos liber, mundus ego sum, & si sit infans vnius diei: Nec istam liberam etsi sanctissimam, dixerim, quæ inimici persequentis insidias, etsi sine labe mortalis peccati, crudeli modo perpessa est. Iuuenem enim quendam forma egregium incautè prospiciens, amore feruentissimo, sine fæce tamen concupiscentiæ, per tempus adamauit: Et quidem sæpius cum eo sola sedens & loquens, nunquam vel voluntate saltem vel animo coinquinata est. Castitatis enim amator Christus super omnia placebat ei: & hunc amauit à iuuentute sua, & quæsiuit illum sponsum aßumere, & amator facta est formæ illius. Quod si de alio, vel etiam de Iuuene illo, quem tantum dilexerat, exortus sermo fuißet, vt maritum sumeret; continuo præ horrore nimio febricitabat; & hoc frequenter cōpertum est. Zelus enim illius, qui animarum humanarum æternus amator est, eam occulta vocatione sponsauerat; nec permisit vt ab amatore alio præriperetur: Erat autem eo tempore in superbissimo vestium apparatu. Nec mora retraxit pedem, quem in ingressu Mundi leui motu & non fixum posuerat.

§. VI.

§. VI.

De eo quod per Fratrem Segerum ad Statum Religiosum conuersa est.

SVb idem tempus Frater Segerus Ordinis Prædicatorum in Insulis, Ipras veniens, post Prædicationem consedit in Ecclesia, vt compuncti populi cõfessiones audiret: Qui dum forte Margaretam in habitu sæculari inter multas fœminas coniectis oculis inspexisset, vidit quodammodo diuino instinctu eam, quam nunquam antea viderat, habilem ad Dei gratiam suscipiendam; & vas electionis, Christo reuelante futuram. Cumque vocasset eam, & ille admoneret iam cũcta sæcularia respuere; dixit illa sine vlla retractatione quod Saulus: Domine quid me vis facere? Nec mora, quantum distat cælum à terra, tantũ à pristinis immutata est: mundumque statim perfectè relinquens Christo tanto ardentius iuncta est, quanto se ab eo trepidabat remotius clongatam. Cumque post horam venisset ad matrem, & mater eam subito videret commutatam, dixit: Quidnam est Filia? Et si hodie Religiosam vitam aggrederis; cras ad sæculum reuerteris. Cui illa: Nihil ait, O Mater, valet hic sermo; cùm alium vtique sermonẽ acceperim, quẽ non dimittam. Ab illa die & deinceps semper etiam venerabatur plagam ad orientem positam, ad quam conuersa sederat, quando gratiam admonentis accepit vbi orientem solem Iustitiæ ad perseuerantem cognitionis affectum sibi sentiebat illapsum.

§. VII

De eo quod semel motum sentiens viriliter se abrupit.

Circa proximum Conuersionis suæ diem, obuiū habens iuuenem illum, quem tantùm dilexerat, sensit leui motu animi affectum suum, ab illo nuper abstractum, suæ menti quasi blandientem irrepere, & mox aduertens quæ animo reuoluisset, indignata sibi cursim ad Ecclesiam venit, & ante crucifixum in modum Crucis membris extensa cum lachrymis dixit: O Christe IESV, *heri ad te conuersa sum; & rediens recidiuo? Non Domine, non; etiamsi corde dirumpar. Sed nunc Domine in confirmationem mei, & ad impetrandam misericordiæ tuæ gratiam; mentis & Corporis votum facio castitatis. Hoc facto vidit Deus perfectionem cordis in Virgine; & hoc magnum concessit ei in omni vita sua, qua vixit postea; vt nec primos motus tentationis in carne sentiret.*

§. VIII.

De eo quod fecit Votum Castitatis & quomodo apparuit ei Christus cum tribus Coronis.

Nec mora; facto voto, recordata est in immensa cordis lætitia, quod iam esset sponsata Christo

& Mundi

& Mundi nuptias euasisset, excessumque mentis passa, caput super psalterium quod habebat, reclinauit. Reuersa igitur ad se, venit ad Fratrem Prædicatorẽ, qui eum de mundo, vt diximus, euocauerat: Somniaui, inquit, si tamen somniũ vocari debet, ignoro, quia nunquam vel in sæculo posita in sermone aut Ecclesia dormitaui. illa hoc dicens necdum cognouerat Dominum, nec vnquam ei fuerat reuelatus. Cui idem Spiritualis Pater eius, ridendo respondit. Quid, inquit, Filia somniasti. vidi ait, quasi in somnijs, euidentius tamen, vidi, inquam lucidissimè Dominum meum Iesum Christum, cùm tribus mihi aureis Coronis astare, & vnam capiti meo imponens dixit; hanc tibi filia pro Voto Castitatis (quod mihi fecisti) confero; & reliquas duas sororibus tuis, Si tecum perseuerauerint promitto. Quo audito, ille Spiritualis Pater eius in Domino excitatis visceribus exultauit, animaduertens & videns, quod Deus sua gratia iuuenculam visitasset, & quod acceptus ei iã esset fructus, quem in nouella planta efficaci sermone rigauerat.

§. IX.

De Constantia eius & qualiter sanatur à Christo.

CIrca idem tempus diabolo nequiter instigante, fama falsa & pestilẽs euolauit, quod vnaquæq; ororum suarũ haberet puerũ, quæ tamen pudicissimæ erant

erant & prorsus omni honestate clarissima. Cumq; fama ista vexaret multos ex suis, Margareta quasi columna immobilis permanebat, conscia nimirum quod Dominus innocentes suos seruaret indemnes. Et sic factum est hoc. Quadam grauissima infirmitate detenta, introductus Physicus respondit: Nisi maritum acciperet eam non posse curari. Cui illa respondit: Voluntas Domini de me fiat. Ego verò ex hoc sponsata amplius sum Christo, & vide dignum miraculũ: quoniam contra iudicium Physici, & contra naturam Deus mox curauit illam.

§. X.

De eo quod videbatur ei Christus offensus.

P*Ost hæc Beata iuuencula & in alijs fructificare laborans, sorores primò suas ab actibus sæcularibus reuocauit. Per idem tempus cyphum ligneum frangens, reficiendum illi iuueni, quem in sæculo dilexerat, misit, nihil sibi ex hoc mali simplex columba discutiens: Timebat enim offensam matris cypho fracto nihilque proprium habens, cum matri omnia reddidisset, hũc volebat occultius refici. Iuuenis ergo mandatum Virginis gratanter accipiẽs, reparatum cyphũ sine mora remisit. Nec mora: Cum Margareta in Ecclesia ad orationes consuetas venisset, pacem solitam cordis minimè reperit, sensitq; ex hoc Dominum suis meritis à se elongatum, statim*

ergo

ergo ad Patrem suum Spiritualem cum maximis lachrymis veniens, conquesta est Christum se suis meritis perdidisse: tunc ille quæsiuit, si causam auersionis agnosceret. Nihil, inquit mihi conscia sum, nisi hæc forte causa sit, quod iuueni cyphum trāsmiserim reparandum: sed in hoc mihi etiam Christus offensus testis est, quod ex nullo affectu quem erga illum nunc habeam, vel habere velim, sed quia nullum circa me habui, qui hoc citius & secretius facere potuisset. Tūc ille: Hæc, inquit, causa est, quare à te Dominum senseris elongatum; quia etsi nullum damnum in te ex mutua senseris missione, iuuenis tamen ex hoc nactus occasionem, credit te suis affectibus inhærere, & per hoc sollicitabitur ex condigno. Quod vbi verecunda Virgo percepit, supra modum erubuit, & flens dolensque supra facto pœnitentiam egit, astutiam ergo serpentis addiscens, & similem casum vltrà deuitans, nunquam posteà dictum Iuuenem vel videre curauit.

§. XI.

De eo quod Beata Virgo Maria apparuit ei & dixit ei, peccata sua esse dimissa.

CVm esset, vt diximus, innocentissimæ vitæ, tāquam si infinita mortalia perpetrasset, ita in lachrymis & afflictionibus permanebat, semper se reputans pessimam & sceleratissimam peccatricem. Accidit ergo vt tribus diebus & totidem noctibus, continuè

continuè sua peccata defleret, & ecce illa adhuc in luctu & lachrymis decumbente, apparuit ei Beatissima Virgo Maria, & (vt ei in Spiritu videbatur) Venerabilis Domina manum posuit ad pectus eius, quærens si hic esset locus doloris & mali, quo grauaretur. Respondit illa: Ita, inquit, Domina. Et B. Virgo: Quæ ait, causa tanti languoris & luctus? Quia vos, inquit, & filium vestrum offendi in tot & tantis flagitijs peccatorum. Nec mora; B. Mater quasi compatienti similiter, appropinquauit, & manũ traxit per totum cordis & Corporis locum; dicens hæc propria verba, quæ scribo: Sano te in anima & corpore; & scias tibi à filio meo omnia peccata tua esse dimissa? Vere hæc Beata & planè dignissima, quam gloriosa Virgo Maria inuisere dignata est, & de omni dolore sanare languentem! Et vide quo fructu: Ex tunc vlterius non sensit aliquem ex pænitentia quantumcumque laborem, sed semper facilis ad orandum, semper ad ieiunandum, semper præstò erat ad afflictiones corporis tolerandas. Antè verò patiebatur ex nimio labore defectum; sed hoc ei remediũ in defectu. Ad quindenam semper Christi corporis Sacramenta sumebat; quibus ad horam penitus cõualescens, sana surgebat. Ex hoc tamen postea consuetudinem tenuit, vt ad quindenam communicaret.

§. XII.

§. XII.

De gestu & dispositione eius forinseca, & quod facies virorum formidabat.

DE gestu tuo & compositione forinseca, ô bona puella quid dicam? & quidem quàm pulchri gressus tui in calciamentis, filia Principis Christi! In calceamentis, inquam; quæ omnium Beatorum exemplo tuam habitudinẽ ordinabas. Oculi demissi erant, caput languidum, greßus fractior, lenis & moderatus incessus, Vultus eius tantæ reuerentiæ fuit, vt cælestis gratia, & maiestatis vestigium in eius facie reluceret. Vix erat aliquis ita peruersus & durus, quin viso eius vultu & habitu disciplinæ, commoueretur ad melius. Vnde accidit quiddam quod recito. Erat quidam in remotioribus partibus Flandriæ, qui audita fama Sanctitatis eius, eam videre decreuit: fuerat idem omnibus diebus vitæ suæ homo tepidus & remissus in actu. Nec mora: vbi vidit vultum eius, & verba eius non intellecta audiuit, gratiam in ea aduertit magnificam, & corde compunctus ex facie meliorationem vitæ satis inopinatæ suscepit. nec potuit postea eius faciei memor esse, quin statim salutis caperet incrementum. Igitur Beata hæc, virorum aspectum sustinere non valens, villam multoties pertransibat, vt virum vel feminam non videret. Erat puer masculus in domo

in domo matris, annorum fortè duodecim, qui scutellas lauare consueuerat. Hunc remoueri à domo, matri supplicauit, & hoc quia virilem sexum habebat: ita enim horrebat Spiritus eius virorum præsentiam, vt in conspectu alicuius quasi tota tremula pauitaret. Et hoc vnde? vtique à Sponso eius Zelatore IESV, *qui olim per Isaiam Prophetam prædixerat: Coangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest. Nulla leuitas in aspectu eius, nullum verbum in ore eius, nulla in gestu leuitas erat. Si quid de Deo audire contingeret: cooperta facie ad cælum oculos erigebat. Secundum Salomonem; Verba dura & aspera molli sermone frangebat. Gestus ita simplex & celer erat, vt vix vnquam videres eam quin eam crederes aliquid de cælestibus cogitare. Hæc eius dispositio forinseca fuit.*

§. XIII.

De silentio eius.

SEcundum *Isaiam, cultus Iustitiæ silentium. Quod ita in ea laudabile fuit, quod etiam multis claustralibus incomparabiliter præferatur: conquesta enim matre eius, Spirituali Patri ipsius, quod parum suis omnibus loqueretur; præcepit ei idem, quod spatium 7. Psalmorum, ad solatium sororum & Matris, quotidie post prandium*

prandium loqueretur. Quæ, vt in omnibus obedientissima Patri, loquebatur quidem secundum quod ei fuerat constitutum, sed nulla prorsus alia quam de Deo. quod si aliqua coram illa de communibus, vel rumoribus, conferrentur; statim inclinata facie dormitabat. Si verò vltra horam constitutam sedere & loqui à Matre quandoque coacta fuisset; obediebat quidem matri sedendo, sed sine mora cadebat ad parietem inclinata, & statim facies eius & manus in pallorem terrenum mutabantur. Non erat aliquis ita dilectus ei, quin eius verbis, etiam modicis, grauaretur; excepto tamen solo Spirituali Patre eius, per quem salutem fuerat consecuta, ad cuius verba suspensa sedebat, & eius colloquia incorporabat sibi anima illius, velut corpus cibum quo viuit. Pro pace tamen hominum, ad interrogata breuiter respondebat: Sed si modici spatij momentum excederet, cruciabatur acerrimè & præ dolore lachrymas retinere non poterat. Ex hoc etiam quandoque defectum Animæ passa est. Magnam tamen gratiam habebat in verbis, sed maior ei meditationis, & contemplationis fructus coram omnipotente Domino videbatur.

§. XIV.

§. XIV.

De eo quod seruabat pacem cum proximis.

Proinde, secundùm Apostolum, pacem cum omnibus obseruabat, nec de facili pati poterat vt verbis vel factis eius aliquis læderetur. Vnde etiam propter hãc grauissimã tribulationẽ cordis & corporis est perpessa. Et quidem cũ anima illius verba dicti Patris sui hianti corde sitiret, nunquam tamen ei loqui volebat, quamdiu aliquis esset, qui expectaret eum, vel alias necessitatem aliquam allegaret; & hoc pro bono pacis cum proximo. O quàm remoti sunt à tanta perfectione cõcordiæ, qui semper quærũt, quæ sua sunt, non quæ aliorũ, sed suam pacem reputant pacem esse communem! Etsi eis quod voluerint suppetat, omnibus existimant satisfactum. Igitur cũ B. ista infirmitate quadam grauiter angeretur, & Pater suus Spiritualis coram ea sederet, mandatusque à Venerabili & Deo digno Magistro Gouardo Cameracensi Episcopo, nec non & à Flandriæ Comitissa, venire dissimularet; illa reuersis oculis eũ reuerberans, inquit: Pater mi, non erit sic. Quæ enim sum ego miserrima, vt pro me ad modicum honoris Christi aliquid relinquatur? sed perge citò quo vocaris à talibus, nec de me solliciteris in aliquo, sed scito, cũ redieris, me reperies saniorem. O verè modesta ouis Christi, patiens & discreta, quæ non quæsiuit quæ sua sunt

sunt, sed quæ IESV *Christi! Verbum eius effectum consecutum est, & pater suus Spiritualis rediens eã inuenit alleuiatam. A matre quandoque correpta, cur semper vacaret orationi, & non cum suis sororibus laboraret; illa pro pace colum arripiens vel tale quid, vt laboraret, defectum animæ patiebatur. Quod vbi frequentius Mater vidit, dilectam, humilem Christi tribuit libertati, nec suscitauit eam neque euigilare fecit, quoad vsque ipsa vellet. In nullo reprehendebat se tantùm B. Iuuencula sicut in hoc, quod commanentes sibi in longis vigilijs & ieiunijs conturbaret, hac sola excepta causa, postquam conuersa est, nunquam aliquid dixit, vnde aliquem conturbauit: Nec aliquid ei dictum est; vnde turbaretur, & hoc quantum ad molestiam corporalem.*

§. XV.

De eo quod oua proiecta, eius prece integra reperta sunt.

HInc audi summæ admirationis miraculum, quod ex eius sancta simplicitate, multis agnitum, accidisse refertur. Rediens ergo Ancilla Christi, ab Ecclesia supernis delicijs inebriata intrauit domũ, vasque plenum ouis crudis super sedile reperiens, & testas ouorum credens, extra domum excusso vase proiecit, vt scilicet aliquid vtilitatis & commodi fecisse videretur in die, quâ alijs laborantibus vacasset orationi. Nec mora: Mater circuiens & quærens

oua, vt coquenda deponeret super ignem; eá proiectá, confracta & dissipata reperit extra domum. tunc Mater nulli præter soli filiæ tale factũ imponens, exclamauit ad eã. Quid fecisti, ô rectè fatua & stultissima omnium? vt quid proiecisti oua, quæ sola residua comedere hodie debebamus? At illa contrita in Verbo matris, quoniam multum reuerebatur: Non statim respondit ei, sed curuatis paululum genibus, breuissimè perorauit: Et surgens, Ignosce, ait Mater dulcissima, quoniam ouorum tantum testas credebã, sed nunc ad locum redi, in quo proiecta sunt oua, & vide si aliquid supersit inconfractum, Verè magnũ & stupendum miraculum, & retroactis sæculis inauditum! Et mox mater verbum filiæ probatura progrediens, ipsa oua integerrima reperit, nec vllum dissipationis indicium præ se ferebant. Tunc mater, super id quod credi potest miraculum admirata, Dominum benedixit; & collectis ouis ac coctis, ea cum laude diuina comedit, & familiæ suæ comedenda distribuit. Ancilla verò Christi non modicum erubescens tota die illa sine cibo manens inclusa thalamo, latitauit.

§. XVI.

De austeritate pœnitentiæ illius.

AVsteritatem Pœnitentiæ eius in ipsa extollere dignum est, quoniam & ita magnam & Deo dignã audiuimus, vt digiti discretorũ operũ eius pleni

myrrha

myrrha probatissima glorientur. Frequentissimè quidem accipiebat vsque ad effusionem sanguinis disciplinas. Vix puer annorum trium viuere cibo posset, quo illa degens in carne viuebat, & tamen oportebat quod à circumsedente socia ad vnamquamque ferè buccellam, quasi cibi nescia, moneretur, & cum corriperetur à matre, cur non intenderet cibo, illa suspirans: Multa, inquit, habeo adhuc cogitare, quæ alias distrahunt; sæpè diebus duobus aut tribus cõtinuabat ieiunia, quod non comedit. De potu verò, ferè continuum erat, quod non bibebat: A vino & carnibus & cibis delicatis penitus abstinebat.

§. XVII.

De Vigilijs & somno eius.

DE Vigilijs & somno eius quid dicam? postquã mundum perfectè reliquit, vix vnquam vna nocte tantùm dormiuit, quantum ad vnam leucam quis ire posset, & tamen veram dormitionem esse eandem sæpius ignorabat, talem enim se ferre dicebat in somnis, qualem in vigilijs recordabatur, Dei semper & dormiens & vigilans reminiscens: Induta vestibus & calceata iacebat in lecto; & tamen nunquam caput, beneficio diuino, dolebat. Frequentissimè noctes ducebat insomnes. Erubescant nostri temporis contemplatiui; qui si semel fleuerint pro deuotione, Christi memores, vel ad horam; si semel vigilauerint solito amplius: si ieiunauerint vltra horam,

mox cum Helisæi puero, & verè puero, clamant, caput meum doleo, caput meum doleo: Si enim verè virtutum viri in veris Animæ viribus attigissent; nunquam effeminati tam citissimè redderentur. Memor sũ illius Beatiss. feminæ Mariæ de Oignies: de qua Venerabilis Iacobus de Vitriaco in Vita ipsius eam commemorat respondisse. Hæ, inquit, lachrymæ refectio mea sunt, quæ caput non affligunt sed mentem pascunt: nullo dolore torquent, sed Animam serenitate exhilarant; non cerebrum euacuant, sed Animã satiãt: Econtrà, istæ lachrymæ, inquit, cerebrũ exhauriunt, pulmonem confundit Vigilia, Ieiunia membra debilitant: & quia in tali destitutione membrorum Deo seruire quis non potest, Aromatica repleãt caput, pulmonem releuet somnus, & quidquid terra vel mare in piscibus & carnibus poterit, membra dilapsa reficiat. Væ qui sine causa vel causa quidem modica dicta factaque Patrum inuertunt; de quibus ipse Paulus Spiritualis & maior, apertissimè dicit: castigo corpus meum & in seruitutẽ redigo. & illud, istis manifestè contrarium: Cum, inquit, infirmor tunc fortior sum & potens. Exceptis Sanctorum dictis, quæ habemus omnibus firmiora, in hac de qua loquimur tenella Iuuencula, euidentissimum signum inuenio, quod Corpus humanum, super id quod carnales credunt, sine detractione sui multa potest & magna, maximè vbi amor omnia tolerat. Vnde Augustinus Expositorum maximus dicit: Qui amat, non laborat. Vis non sentire laborem? cogita mercedem. Nunc ergo in Margareta vide quid

actum

actum sit, vt diximus, iam septennis vrticis & aculeis se pungebat. posteà annorum nouem, 4. & 6. ferias in pane & aqua; Vigilias & ieiunia Ecclesiæ & totam continuè quadragesimam ieiunauit. Tu autem quid agis mulier potens in aliys? & tu, barbatus & fortis! Amor vtique tepet; non est idcirco qui tolerat. Hæc spe gaudens, præ amoris magnitudine, nulla ei quæ faciebat, videbantur; & ideo sine destructione sui omnia tolerabat.

§. XVIII.

De eo quod nesciens transegit noctem Natalis Domini.

NOcte Natalis Domini Pater suus Spiritualis partem noctis illam dormire præcepit. Mane ergo quod non dormisset apud Patrem à Sororibus accusata, correpta est; quæ respondit Verbum planè mirabile: Dulcissime, inquit, Pater, parumper in oratione me dispoſui; & cum recederem, vt dormirē; vidi quod iam dies in Aurora consurgeret. Quo responso (non mirum) ille in risum maximum concitatus: O stulta, inquit, parum te, orasse fateris, & longissima nox anni iam interim pertransiuit: & tamen reuera non breuis & parua fuit si charitatis longitudinem & latitudinem metiatur. Proinde contēplemur in Margareta virtutem mirè mirabilem: Cum quidem esset sibi durissima, tamen cum pace cordis pati non poterat, vt aliquoties etiam citra posse in

abstinentijs laboraret, & cum se in minutissim grauiter accusaret, nullum penitus iudicans, grauia proximorum facta prout poterat excusabat.

§. XIX.

De Instantia orationis.

Virtutem & continuationem eius Orationis quis explicaret? Nec credo quod aliquis posset de facili, quanto minus ego. Orationis instantiam, tātam me in aliqua alia nostri temporis vix audisse fateor: nihil enim aliud in omni Conuersione sua fecisse narratur: Si quid autem aliud facere videretur, vt est in comedendo, colloquendo, laborando, vel alijs consimilibus, quæ fuere rarissima; semper tamen meditabatur, orans & cogitans, quomodo diuinis aspectibus complaceret. Et ex hoc dici potest quod in cælo cordis eius factum est silentium quasi dimidiâ hora, & ponitur ibi (quasi) non pro silentij veritate, sed pro similitudinis ostensione: Nunquam enim vel dimidiâ horâ diuini in cælo Spiritus ab Omnipotentis Dei laudibus cessant; sed nec hæc Margareta à Dei laudibus siluit, sed quasi dimidia hora silere visa est, cùm aliud non alienum foris in similitudine ostendit, & intus tamen Oratio sine cessatione non tepuit. Ibi enim deliciæ eius, ibi cum Christo sancta colloquia; & erat ei totum aliud miserabilis

bilis cruciatus. Nunquam satis tempestiuè intrare Ecclesiam, nunquam satis tardè eandem se exire credebat; vnam tantum plicam pepli in capite portabat, ne multis pepli reuolutionibus, ab orationibus tardaretur. Et cum super hoc à Matre corriperetur: O bona, inquit, mater non cures; quia dum occupata essem caput tanta cura contegere, interim potuissem Aue Maria dixisse. Sicut enim aliquis ab aliquo amico dulcissimo, cum grauedine separatur; sic & ipsa ab oratione. Si verò eam surgere oporteret, vel aliàs ad colloquium vocaretur; Flebat quidem, sed ibat, quia pro pace dimittere non audebat. Locum secretum in solario habebat superius, & ibi die media in orationibus & meditationibus quiescebat: hunc cum post prandium deberet ascendere, in primo eius gradu quasi anhelans & debilis quiescebat, & cum hoc ex debilitate sorores eius putarent euenire accusarentq; eam super hoc apud Patrem suum Spiritualem: Secretum, inquit, hoc & certum, Pater dulcissime, habeas, quia nequaquam ex debilitate hoc est, sed cum recordor liberam me esse debere à necessitatibus quibus inferius detinebar, & in meditationibus Christo me in solario iungi superius; tantis gaudijs intus afficior, quod in pedibus ad horam stare non possim. Quid ergo erat cum in secreto cordis Domino familiariter cohareret; cum in spe futuri gaudij, tanto tripudio replebatur? Vtique Anima eius liquescebat vt dilectus locutus est; proinde orationes

abstinentijs laboraret, & cum se in minutissimis grauiter accusaret, nullum penitus indicans, grauia proximorum facta prout poterat excusabat.

§. XIX.

De Instantia orationis.

Virtutem & continuationem eius Orationis quis explicaret? Nec credo quod aliquis posset de facili, quanto minus ego. Orationis instantiam, tãtam me in aliqua alia nostri temporis vix audisse fateor: nihil enim aliud in omni Conuersione sua fecisse narratur: Si quid autem aliud facere videretur, vt est in comedendo, colloquendo, laborando, vel alijs consimilibus, quæ fuere rarissima; semper tamen meditabatur, orans & cogitans, quomodo diuinis aspectibus complaceret. Et ex hoc dici potest quod in cælo cordis eius factum est silentium quasi dimidiâ hora, & ponitur ibi (quasi) non pro silentij veritate, sed pro similitudinis ostensione: Nunquam enim vel dimidiâ horâ diuini in cælo Spiritus ab Omnipotentis Dei laudibus cessant; sed nec hæc Margareta à Dei laudibus siluit, sed quasi dimidia hora silere visa est, cùm aliud non alienum foris in similitudine ostendit, & intus tamen Oratio sine cessatione non tepuit. Ibi enim deliciæ eius, ibi cum Christo sancta colloquia; & erat ei totum aliud miserabilis

bilis cruciatus. Nunquam ſatis tempeſtiuè intrare Eccleſiam, nunquam ſatis tardè eandem ſe exire credebat; vnam tantum plicam pepli in capite portabat, ne multis pepli reuolutionibus, ab orationibus tardaretur. Et cum ſuper hoc à Matre corriperetur: O bona, inquit, mater non cures; quia dum occupata eſſem caput tanta cura contegere, interim potuiſſem Aue Maria dixiſſe. Sicut enim aliquis ab aliquo amico dulciſſimo, cum grauedine ſeparatur; ſic & ipſa ab oratione. Si verò eam ſurgere oporteret, vel aliàs ad colloquium vocaretur; Flebat quidem, ſed ibat, quia pro pace dimittere non audebat. Locum ſecretum in ſolario habebat ſuperius, & ibi die media in orationibus & meditationibus quieſcebat: hunc cum poſt prandium deberet aſcendere, in primo eius gradu quaſi anhelans & debilis quieſcebat, & cum hoc ex debilitate ſorores eius putarent euenire accuſarentq; eam ſuper hoc apud Patrem ſuum Spiritualem: Secretum, inquit, hoc & certum, Pater dulciſſime, habeas, quia nequaquam ex debilitate hoc eſt, ſed cum recordor liberam me eſſe debere à neceſſitatibus quibus inferius detinebar, & in meditationibus Chriſto me in ſolario iungi ſuperius; tantis gaudijs intus afficior, quod in pedibus ad horam ſtare non poſſim. Quid ergo erat cum in ſecreto cordis Domino familiariter cohæreret; cum in ſpe futuri gaudij, tanto tripudio replebatur? Vtique Anima eius liqueſcebat vt dilectus locutus eſt; proinde orationes

suas tam deuotè dicebat, vt si audires & non videres cum Christo eam colloqui reputares. Vnde multos ex hoc ad deuotionem & lachrymas prouocabat. Super hoc Spirituali Patri suo verbum quoddam memorabile dixit: O quam magnum damnum est, Pater, quod hi qui scripturas diuinas, & in illis quod erant, intelligunt; debitas tamen orationes suas, ad aures Omnipotentis Dei, in modica suauitate, & cum tanta celeritate transmittunt. Bene quidem & dignè dixit.

§. XX.

De eo quod mirabiliter timuit pro eo quod die quadam horas dicere prætermisit.

ALiquando Pater suus Spiritualis dixit vt Regulares horas secundùm horas temporis obseruaret. Accidit autem quod die quadam in excessu mentis rapta horas debitis temporibus non dixisset: qua negligentia pauefacta non modice, ad præceptorē suum clamans & eiulans venit. Quam vt vidit ille ita amarè dolentem, suspicatus aliquid graue esse quod fleret; expalluit subito, & residens iuxta eam hortabatur quid haberet, edicere; Quod vbi illa cum lachrymis maximis fateretur; Pater eius gratulatoria indignatione commotus, Vade, inquit, vade miserrima, quia me præ angustia tremulum & excordem ferè reddideras.

§.XXI.

§. XXI.

De eo quod duo Angeli eleuabant eam etiam sensibiliter, quando fessa erat in Oratione.

QVotidie quadringentas Orationes Dominicas & toties Aue Maria dicebat, & hoc cum flexionibus totidem, scilicet de Psalterio Quinquagenã, & super hoc tamen diutissimè in oratione iacebat. & quidem, cum auiditate contemplationis quotidie raperetur, difficulterq; surgere posset aliquando, præ debilitate corporis & labore, vt stando psalleret & persolueret solitas orationes, contrectabiliter etiam in corpore forinsecus sentiebat, quod duo Angeli dextra læuaq; eam per cubitos eleuabant. Et cum sic B. Mariam decies salutasset; ita recens efficiebatur & agilis, vt in persolutione cæterarum orationum nihil penitus laboraret. Ita fortis erat in fine Orationis, sicut in initio, & multo quandoque fortior. Orans etiam ita feruebat in corpore, vt asperrima hyeme sola tunica contẽta esset, & sicut olla bulliens fumat super ignẽ, sic illa in oratione persistẽs. Nec mirum, quia de illis montibus erat, de quibus Dauid gratulabũdus exclamat: Tange montes & fumigabunt.

§. XXII.

§. XXII.

De habitu eius despecto & eius Eleemosyna.

Habitum despectum & humilem habebat, nouas vestes abijciens semper dicebat: Mihi paupercula & abiecta vetusta vestes sufficiunt, paupertatis Christi sedulò recordata. Matrem & materteras quandoque fugit, vt mendicaret, sed sæpè iussu dicti Patris sui redire & manere cum Matre est coacta. Curiositatem cum maximo studio fugit, & cùm esset in sæculo constituta sapiens & mirè prouida, ad Christum conuersa horum omnium oblita erat. Proinde cùm leprosi ad mendicandum via media residerent, & à Margareta transeunte aliquid peterent, illa eis cum lachrymis respondit: Libenter darem si haberem: Petam autem pro vobis, si quid accipiam. Mox humilis ancilla Christi in terra geniculans coram populo transeunte petebat sibi obolum dari: & verè nimium fuißet durus & impius, qui tali paupercula denegaßet. Acceptum ergo oblatum munus leprosis dabat. Ex hoc Presbyter Ecclesiæ consuetudinem habuit, vt Margaretæ quandoque obolum daret, quo conscientiæ suæ satisfaceret & mendicis.

§. XXIII.

§. XXIII.

De dilectione quam habebat erga Christum.

Amoris ignem quò feruebat in Christum, quis vnquam verbis ostenderet? nec ipsum poterat nominare nisi planè dulcissimum: & cum pium panem ad ostium pauperes peterent, eos vt pro dulcissimo Domino IESV *Christo peterent, instruebat, & ex hoc in villa Iprensi consuetudo apud multos mendicos obtinuit, vt pro dulcissimo Domino Iesu Christo peterent: sed & religiosæ mulieres, cùm ex consuetudine venirent ad eam vt de Christo eis aliquid diceret; cum indignatione turbida respondit: Quid ego dicam de Christo seruo vestro? non potestis sicut decet vocare dulcissimum Dominum Iesum Christum: & verè dignè dixit & valdè dignissimè. Dominus in Apostolis suis consuetudinem commendauit, dicens, vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. & B. Thomas dicit: Tu es Dominus meus & Deus meus, quomodo ergo nos indignissimi eū vocare debemus simpliciter Christū, qui à dignissimis Apostolis vocatus est magister & Dominus? proinde quadā religiosissima Domina cum illa loquens, illa quasi iocunda prædixit, Non semper sic, inquit, eris filia, vt semper in amplexu Christi sponsi meditatione quiescas, sed postmodum relicta tibi incommoda patieris, quo audito*

illa

illa subitò pauefacta exclamauit in planctu; & cum non posset ab omnibus coërceri dixit ei Spiritualis Pater suus: ergo mi filia aduersa pati iam improba formidas? non, inquit, Pater, nulla pati aduersa formido: sed seiungi à dulcissimo Domino meo IESV *Christo, vel ad modicum sustinere non valeo.*

§. XXIV.

De eo quod ab ipso Christo suscepit Corpus Christi.

C*Vm egeret aliquando instructione & correctionis solatio, ei quandoq; Pater suus Spiritualis quasi per Spiritum præsens videbatur adesse & tunc quadam cognitione interius replebatur, quæ illi ad tempus sufficiebat, accidit autem quodam manè vt surgens secundùm consuetudinem Domini gratiam non sentiret: sed hoc quare, sentire non potuit. Cum ergo nequaquam Patrem suum Spiritualem præsentem haberet, nec solita cognitione interius repleretur ad quendam virum religionis in villa plorando cucurrit, & cum ille discretionem talium non haberet eam irridendo depulit & despexit, quæ statim cum confusione reuersa intrauit Ecclesiam: & ad Christum conuersa cum lachrymis dixit: nec Patrem meum Spiritualem præsentem habeo, nec in amicis tuis solamen inuenio: quid ergo beni-*

benignissimè Domine, quid ego misera faciam? Nec mora. In excessu mentis facta, ei Dominus apparuit dicens: noli flere Filia mea: hodie à dilecto tuo consolationem accipies. quo in responso iam spe alacrior sub certa expectatione Dominum præstolabatur. Nec frustra. Quippe cui Dominus sub Corporali specie panis participationem sui Corporis dedit: & hoc certum indicium veritatis Patri suo spirituali posteà reuelauit, quia quod ore foris accepit dentibus masticabat, & secundum quod in specie remanet, saporem distinxit. Hæc ei per 15, dies gratia permansit. Nec hæc sola probatio, sed id quod maius est, in hoc beneficio Domini talem gratiam hausit, vt nulla postmodum otiosa, nulla etiam mundo communia audire potuit, vel videre. Et si propter scandalum proximorum quandoque audire talia cogeretur statim intellectus eius alienabatur à talibus, vel quasi oppressa vigilijs præ tædio dormitabat.

§. XXV.

De eo quod plus diligere timuit Patrem Spiritualem quam alium.

IGitur cum Patrem suum spiritualem super omnes & omnia quæ in mundo habebat, eo quòd eam à mundo reuocasset, diligeret, cœpit ex simplicitate cordis, ne hoc contra Dominum esset in aliquo, animo pauitare, & dixit Domino in oratione: Benignissimè

IESV

Iesu Christe, te vt nosti super omnia diligo, & propter te illũ qui me te recognoscere fecit & ad te diligẽdũ instruxit; At quia mutua dilectio & frequens collocutio viri cum femina maioribus nostris suspecta videtur, rogo te per excellentissimam humilitatẽ tuam, vt mihi ancillæ tuæ clementer ostendas, si in dilectione & collocutione serui tui damnũ aliquod tui amoris incurrã, & ego spondeo si tuæ charitati aduersum inuenero, nunquam ei postea loquar: absit enim vt pro omnibus quæ in cælo & in terra sunt, tuam erga me charitatem velim diminui. Vix verba cõpleuit, & ei Dominus respondit in spiritu. Vtere mei illi credere non formides, quia ex ore illius tibi in necessarijs respondebo: non oberit tibi in carne vel spiritu quicquid ille præceperit. Verus Deus & vera veritas ipse est. *vide ergo quid actum sit.*

§. XXVI.

De eo quod quatuor diebus ieiunauit ante Pascha, & tamen sine vlla læsione.

ITaque cum Margareta à 4. feria post ramos Palmarum vsque in vesperum diei Paschæ sine vllo cibo vel potu continuò ieiunasset, vt sciuit Pater eius spiritualis responsum Domini, voluit veritatis indicium experiri. Cũ ancilla Christi ex quatriduano ieiunio & prompto animo, corpore tamen debilitata fuisset, multis audiẽtibus atque præsentibus, ei adhuc ieiunæ in die Paschæ post prandium dixit: Sermonem

vespere ad vnam leucam propè facturus sum: tu autem ieiuna surgens sequêris nos. (Mirare miraculũ) In cuius verbo illa protinus roborata surrexit, & sine difficultate iussum dicti Patris impleuit, & quod plus est, videbatur ei quod instar auis in aëre portaretur.

§. XXVII.

De reuelationibus Domini factis ad eam. Primò quomodo B. Maria ei apparuit, & dixit sororem suam esse sanandam.

HInc sequuntur reuelationes Domini ad eam factæ, & vtique tales & tã excellenter magnæ, quod multum vereor eas in notitiã hominum ferre, qui animales sunt, & ea quæ spiritus Dei sunt, nequaquã percipiũt. Sed nunquid non ideò bonũ nomen Christi quod est odor vitæ, in vitam omnibus communicandum est, quia fit malis odor mortis in mortem? absit. dicamus ergo. Multas quidẽ ancilla Christi à Domino reuelationes accepit: sed nulli penitus aliquas, nisi soli Patri suo spirituali voluit reuelare. Et in hoc verè multis laudibus extollenda. Multæ enim nostri temporis Religiosæ perniciosum gallinæ habentes modum, statim clamore produnt cùm ouum ediderunt. Tempore quodam soror sua carnalis ab omnibus quæ aderant desperata, vsque ad mortem ferè periclitabatur in partu. Redarguta ergo Margareta à matre sua, quare sorori

forori suæ morienti non assisteret, illa in oratione prostrata pro sorore sua Dominum precabatur; sic enim melius eam se iuuare credebat. Nec mora, oranti apparuit Beatissima Virgo Maria dicens; vade & dic sorori tuæ: Sanaberis in momento & nascens infans, vitam incolumis consequetur. Mox illa sororem adiens iam in supremo spiritu vitæ hærentem indicat protinus liberandam. Mirum spectaculum. Nec temporis interstitium intercessit, nec excessit verbũ Ancillæ Christi, & in momento viuente puero pariens liberatur.

§. XXVIII.

De eo quod Christus ostenderit ei pauenti in quali corde susciperet Corpus Christi.

SVb eodem tempore cordis scrupulo satis grauiter cruciata se reputans peccatricem, Corpus Christi secundum quod consueuerat, suscipere non audebat: cumque Pater suus spiritualis præsens non esset, qui eã in talibus confortaret, rogauit Dominum, vt ei cordis sui statum in aliquo demonstraret. Nec mora. In excessu mentis rapta ostendit ei Dominus cor suũ interius in modũ paruæ capellæ mirabiliter perornatæ & dixit ei: Ne verearis filia ad me tuum sponsum accedere, quoniam in tali loco & in tali cordis tui schemate mihimet hospitium præparaui. Veridica ergo Pauli sententia, qui dixit templum Dei sanctum

ctum est, quod estis vos.

§. XXIX.

De eo quod quandam Dominam illustrem ex responso Domini redarguit.

IPsa aliquando grauiter decumbente Pater suus spiritualis cum illustri quadam è principalibus Domina visitauit ægrotam, cui & dixit: Ecce filia mea, mi Domina, quam tibi frequentius cõmendaui: adduxi eam nunc ad te, vt pro ea sollicitius Dominum depreceris. Tum illa oculos auertens à Domina, verè, inquit, sicut nunc & frequenter intimè rogasti me pro Domina hac, pro ea sæpe Dominum exoraui: sed nunc in hora hac de ea mihi Dominus reuelauit & dixit: Preces quas fundis pro eâ nequaquam exaudiam, quoniam manus eius sanguine plenæ sunt, cùm per tallias suas in meos quotidiè pauperes debacchatur. hoc audito horruit Domina vltrà quam credi potest, & semetipsam agnoscens exclamauit in planctu: sed & Pater eius spiritualis miratus immodicè adiurauit eam per nomen Christi, si ei Dominus ipsum talliarũ nomen euidentius expressisset. Et illa: non, inquit, necesse erat Pater sancte, vt in aliquo coniurares me, quoniam spero quod verbo meo simplici credas, tamen vt Domina ipsa certius credat, iuro tibi per nomen Christi Domini nostri, quod nunquam in vita mea nisi hodie tantùm in reuelatione diuina talliarum nomen audiui. Credat ergo, si velit, verbis

Domini, quia nisi de spolijs pauperum resipiscat, vindictam Domini sentiet euidentem. Quibus in verbis prædicta Domina in plurimis emendata non solùm exactionibus pepercit, verum etiam spoliatis multa restituit.

§. XXX.

De eo quod Dominus reuelauit ei, quod Pater suus Spiritualis oraret pro ea, & quomodo diem & horam dixit ei.

Die quadam intrans Ecclesiam miro gaudio subitò replebatur: dixit autem postea quòd nunquam tantum gaudium concepisset, nisi ad contemplationem spiritus eius excessisset. Cumq; à Domino quæreret, quæ causa esset consolationis tam subitæ, sensit, Domino reuelante, quod Pater suus Spiritualis pro ea solemnia celebraret: nec magnum posteà tempus excessit, cùm ille ad eam gratia consolationis accederet, eiq; illa diem, horam, locũ, & missam diceret quam pro ea Domino celebrasset: addens quod nunquam eius Missam audisset, nisi alicuius virtutis gratiam à Domino accepisset. Nec mirum, quia si maledictio matris filium execrabilem reddit, quanto magis benedictione Patris filia confortatur.

§. XXXI.

§. XXXI.

De eo quod solum Christum cogitare poterat, & quomodo B. Maria apparuit ei in festo Annunciationis.

Domino IESV CHRISTO *tantis præcordijs adhærebat, vt non nisi gloriosam matrẽ eius, nec nisi solum eius filium poterat cogitare. Vnde accidit vt in Annunciatione Dominica ei benedicta & Venerabilis Virgo Maria in maxima luminis gloria appareret dicens: oportet hodie charissima filia quatenus mihi cor tuum ex integro præbeas, & nihil aliud quàm meã dignitatẽ in tuis cogitationibus mediteris. Cui illa respõdit: Cras ergo mihi ô dulcissima Domina in dilecti filij tui adhæsione restitues: quòd in te solum diem istum expendam. Et B. Maria: Filius, inquit, meus & se totũ reddet tibi, & me secum, & nobiscum tibi quidquid continet Paradisus. Verè magna & beata promissio: vtique, qui filiũ, & matrẽ habet, qui autem matrem cum filio & vitã æternam habet: quæ consistit in cognitionis fruitione* IESV *Christi Domini nostri.*

§. XXXII.

De eo quod ipsa, aliaq; sancta mulier viderint Angelum cuidam Prædicatori astare.

CVm quidã F. de ordine Prædicatorum prædicaret, & illa cum alia religiosissima Domina ad

fratris pedes pariter consedissent, viderunt ambæ simul corporalibus oculis quod Angelus Domini prædicantis faciem mira claritate circundaret, & in aure suggereret quid foris populo prædicaret. In qua visione Beatæ & Deo dignæ mulieres perhibuerunt testimonium veritati: quia non in ore duorum tãtum secundum Ciuile Ius, viros intelligas, sed etiam in ore duarum, subaudi mulieres, secundum Ecclesiasticum & diuinum, stabit omne verbum.

§. XXXIII.

De eo quod visa est manus aurea super ipsam & quendam Fratrem Prædicatorem.

Q*Vidam ex ijsdem Fratribus Prædicatoribus sermonem facturus in Ipris manè venit ad illam conquestus grauiter quod aliàs præpeditus nihil præcogitasset, quomodo aut quid populo loqueretur. Nec mora, visa est manus aurea super ambos, & non sicut Iacob, diuaricatis manibus filijs Ioseph, sed sicut filijs suis communiter benedixit: & vide qualis benedictionem consequatur effectus. Prædicauit dictus frater & tantam sermoni eius gratiam diuina misericordia donauit, vt totus populus quasi repentino sonitu consternatus vberrimè fleret, & præ feruore spiritus in eiulatus maximos exclamaret. Ipse autem frater tanta dulcedine Spiritus interius replebatur vt tota die velut inter Paradisi delicias versaretur:*

ſaretur: ipſa autem Ancilla Chriſti nec benedictionis ſuæ parte fruſtrata, cum Frater in ſermonis fine illud ſponſæ in Canticis diceret: trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum, & hoc eleuatis ad cælos oculis exclamaſſet, ſtatim vidiſſe viſa eſt, ſe trahi cælitus & in exceſſu mentis ſubito rapi: ibi autem quid viderit, æſtimare poſſumus quidem, ſed non effari.

§. XXXIV.

De illo ſtupendo Miraculo quod vidit Patrem ſuum Spiritualem in Inſula corporalibus oculis.

R*Eferam rem ad intelligendum difficilem, ſed tamen coarctor Spiritu, conceptum ſermonem diutius retinere. Occupatus aliàs Pater ſuus Spiritualis in Inſulis, in domo cum Fratribus ad cõſolandam ancillam Chriſti diutius morabatur: deſiderio ergo æſtuans non modicè grauabatur, cum ex illius Anima vt ita dicam, eius Anima dependeret, quia ſcrupulis conſcientiæ ſæpius angebatur: ſurgens ergo illa, die quadam & oculos verſus Inſulam dirigens vidit ſuper omnem æſtimationem lucidius ipſis Corporalibus oculis illum quem in feruore Spiritus mente conceperat, & hoc interiecto ſpatio 5. Leucarum, conſolationemque plenam de eius viſione ſuſcepit: Hinc ergo quærendum eſt quomodo oculi humani diſtinctiuè aliquid videre tanto interiecto ſpatio &*

multis fortè obstantibus potuerint. Planum est, si vidit oculis corporalibus, in loco vidit quod vidit, si in loco vidit, ergo visus continuus, & contiguus fuit ad rem visam: sed patet quod non continuus, quia non terminus idem, nec contiguus, quia inter eius partes cecidit medium eiusdem generis. Quid ergo dicemus? nunquid fas erit credere tantæ perfectionis Christi sponsam fuisse mentitam? absit: neque enim credimus quod pro perdenda vita mortali; ex deliberatione & certa scientia mendacium & maximè tale dixisset. Quid ergo? vtique si absque omni miraculo, vt dicit Liber de Naturis rerum præter consuetudinem omnium animalium, animali, quod Lynx dicitur, natura indidit vt solida & obscura corpora oculorum luce valeat penetrare; Quare Christus qui in sanctis suis mirabilis est & prædicatur, ad horã conferre non potuit, vel etiam noluit, vt in consolationem sui, illũ videret etiam in remotissimis partibus, sine cuius præsentia pacẽ pectoris ad tẽpus habere non potuit? sed tu fortè respondes, quia nec credo in puella miraculum, sicut nec in Lynce animali posse visu obscura & solida corpora penetrare. Respondeo probare in puella diuinum miraculũ necesse non est, quia Christus qui sic facere voluit, sic facere potuit, & hæc sufficiens ratio, opus enim naturæ in lince animali volo probare, & hoc secundum rationem naturæ. Constat secũdum Philosophum quod oculus situs est in humido: tria autem in aqua sunt, aquea humiditas, diaphaneitas & perspicuitas lucis, hanc vltimam communicat cum natura cælesti, &

hæc est

hæc est vltima depuratio à materia in natura lucis, & propter hoc quod lux est, quid maximè penetrabile in natura lucis, & quia lux est vltima perspicuitas in corpore terminato, ideo si ponitur substantia aquea, vltima sua depuratione, quantum ad perspicuitatem in oculo Lyncis, poterit penetrare corpus solidum & obscurum: In puella verò non potuit, nisi miraculo visu oculorum ad horam in melius commutato, & hac melioratio naturaliter in Aquila est quæ à remotissimis partibus prædam respicit. Quid ergo si Deus naturæ conditor suæ sponsæ conferat immediatè per se, quod Aquilæ & multis alijs auibus rapacibus mediante natura dedit? constat quod conuenientius sponsæ suæ.

§. XXXV.

De eo quod viderit CHRISTVM quasi Crucifixum in Parasceue.

F*Eria sexta in Parasceue, cùm secundum Ioãnem Passio Domini legeretur, vidit manifestè Christum in crucis stipite crucifixum, cumq́; Euangelij recitator illud Euangelij verbum dixisset*, Inclinato capite tradidit spiritum, *vidit quod Spiritus Domini super se & super celebrantem Presbyterum ferebatur: quo in facto sensit statim cor suum quasi Christo in passione commortuum, & in die Resurrectionis Dominicæ in receptione Corporis Christi quasi vitam resumere iucunditatis: Et in hoc patuit veridica Pauli sententia dicentis:* Si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum.

§. XXXVI.

De eo quod frequenter vidit ſtatus hominum.

DE ſtatu aliorum hominum frequenter multa ei Dominus reuelauit, quos vtique piè monitos reuocabat à malis, vel ſi in bono videbat aliquos, ad melius hortabatur: nulli tamen vt dictũ eſt, niſi ſoli Patri ſuo Spirituali de his quæ in hominibus vidit, aliquid reuelauit. Et in hoc reddebat eam cautam Chriſtus famæ ipſius foris prouidus conſeruator, qui intus præceſſerat reuelator.

§. XXXVII.

De eo quod videbatur ei quod raperetur ad cœlos, & de his quæ ibi videbat.

FRequenter ei viſum eſt, Dum in Spiritu raperetur quod cum Maria Magdalena ad pedes Chriſti iaceret: nonnunquam verò videbatur illi, & hoc frequenter & quaſi quotidie quod dimidia intra, dimidia extra in limine Paradiſi proſtrata iaceret, ibique ad aliquem Sanctorum conuerſa conſolaretur. Frequenter etiam inter ipſos Angelorum & Virginum choros ſurſum tranſuecta eſt, vt quaſi ad auroram poſt meridiem cum Domino in Paradiſo voluptatis Angelicæ deambularet. Vbi etiam vniuſquiſque

ordo ei in multa gloria congaudebat: aliquando etiam ei in Spiritu videbatur quod obuia ei Christi matre facta ab ea deduceretur ad loca miræ amænitatis & gratiæ. Idem ei factum est à B. Maria Magdalena quam miro venerabatur affectu.

Et hoc mirabile satis in ipsa fuit quod festum vniuscuiusq; Sancti interius discernebat recipiebatq́ gratiam & consolationem magnam in singulis ad augmentum.

§. XXXVIII.

De eo quod Stella apparuit in humero eius.

SEdens aliquando cum matre sua & sorore illius sua matertera, de Deo inuicem conferebant: nec mora. In momento stellæ clarissimæ lux visa est in humero Margaretæ, & cùm mater obstupefacta exclamaret, quid est hoc filia? Respondit: non paueas mater, quoniam Dominus in medio nostri est: & hoc secundum illud, quod olim dixerat Dominus: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

De eo quod Beata Catharina apparuit ei.

Beatissimam Virginem Catharinam singulari amore complectebatur, & factum est in festo illius, quòd ei B. Catharina in regali ornatu & cyclade deaurata plenè mirabili appareret: cuius gratiam se adeptam videns rogauit eam vt pro se accederet ad Dominum rogatura. Quod vbi annuit B. Virgo vidit Margareta quod illa ad pedes Christi pro se in magna supplicatione iaceret. Nec mora, reuelata à Christo ad puellam reuersa dixit: Non tædeat filia mi, animam tuam vitæ suæ, neque amplius fatigêris quoniam in proximo est, vt à sponso tuo tuum desiderium consequaris.

§. XL.

Quomodo primò cœpit infirmari.

Hinc sequitur B. mors ancillæ Christi, quæ tantò gloriosior, quantò vita dignior fuit. Anno integro ante mortem suam vix aliquid quod fuit proprium corporis sensit, cibośq; nullos palato sensificans discernebat. Quotidiè ferè nouum aliquem cruciatum sentiebat in membris. Dominico verò die post receptionem Corporis Christi nullum dolo-

rem

rem penitus sentiebat, & hoc secundum B. Doctorem Augustinum qui dixit: hoc, inquit, supple Corpus Dominicum, medicamentum est occurrens languoribus, & alimentum succurrens defectibus. Post Dominicam verò diem 2. feria, eam replebat infirmitas, & solitis cruciatibus angebatur. Ex hoc certissimè comprobantes fui, quod in hac vita sua purgamenta compleret, & ad cœlos instar auis euolaret.

§. XLI.

De eo quod prædixit mortem suam, & de graui fluxu, qui eius prece est aliquando restrictus, & de bono odore circa eam.

VEspere quodam iuxta eam sua matertera consedente, mortē suā, implicitè tamē in hoc verbo prædixit: Ecce charissima, vitā aliam ducā vlterius. Nec mora: mane facto eā acutissima febris arripuit. Sudabat tamē quotidie, & ille sudor ita intolerabilis erat fœtore, quod eā nec ipsa mater eius vel sorores poterant sustinere. Sexta ergo die Pater eius spiritualis adueniens ei cōmunionem Corporis Christi dedit, & sensit statim quasi quandā reuelationem criticam in corpore, nec tamen crisis fuit. Hinc eam grauissimus internorum fluxus arripuit, cumq; matertera illius quæ illam specialiter diligebat, cū ea diebus & noctibus laborasset, nec aliquo modo posset quiescere Margareta cōpassa matertera dixit: Vade nūc, ô charissima Domina, & tota nocte quiesce securius, quia ad hoc tantum

tantùm vt dormias, infirmitate interim releuabor. Illa ergo mirata, sed tamen credula verborum ancillæ Christi, dormitum perrexit. Margareta verò ad Dominum dixit: non peto Domine vt ab infirmitate ista prorsus absoluar, sed dormiente matertera mea, alia interim crudeliori infirmitate discrucier, & factum est vt prædixit in spe orationis ad Dominum facienda. Reuertente manè matertera eius a somno, fluxus eam in tantum perua sit & fuit hoc in ipso internorum fluxu contra omnem naturam stupendum & admirabile mirum, quod totus locus ille in quo iacebat puella odore aromatico quasi ex pigmentis pretiosis replebatur. Et hoc veraciter credimus, quod eius preces & digna merita meruerint ne amici visitaturi eam horrerent morbi immanitate. Proinde cùm in eodem continuè fluxu laboraret, & fratres Prædicatores sederent ante eam, nullo impetu grauabatur, sed sine molestia erat. Cùm autem recederent continuò resoluebatur in fluxu, & hoc idem Fratres quasi maximum miraculum sapius & per moras diutinas probauerunt.

§. XLII.

De eo quod Christus apparuit cum vase crystallino, & refecit eam in gutta à vase stillante.

Itaque præcepit ei Pater suus spiritualis ne in ipsa infirmitate desiderio aliquo aliter seipsam affligeret

ret affligeretur; iacuit ergo tribus diebus & noctibus, quod nec in multis cogitationibus de Deo, patri suo in omnibus obediens, ausa est occupari. Quibus transactis apparuit ei Christus planè in forma visibili cum vase pulcherrimo & crystallo, in quo erant multa coronulæ aureæ opere subtilissimo perornatæ. Cui Christus manum cum vase inclinans quasi guttulam paruam sorbendam dedit, coronis ostensis innuens multa se illi præmia pro multiformi virtutum gratia largiturum. Nec mora, vbi guttulam de vase in manu Domini sorbens hausit; ad plenum refecta est, quæ tamen ante triduum nihil gustauerat.

§. XLIII.

De verbis mirificis quæ matri suæ in morte dixit.

PRoinde *non modicum grauabatur, quod sollicita custodia seruaretur, eo quod in hoc eius resolutio differretur: sed cùm in hoc suam simplicitatem reprehendißet, licet hoc ex desiderio videndi Dominum esset, dixit matri suæ: Mors mea assimilatur in parte morti Christi: In hoc specialiter gaudeo, quia omnia membra mea excepta sola lingua ita ligata sunt, quod nec vnum pedem vel manum mouere possum: & hoc vellem si tamen Dominus meus* IESVS CHRISTVS *vellet, quod in isto statu vsque in diem iudicij permanerem, cumq; mater eius*

in hoc

in hoc plurimum miraretur, immò, inquit, in inferno esse cum beneplacito Christi, & in hoc facere aliquid dignum Christo, optimum reputarem; Quantò magis infirmitatem istam? quoniam respectu inferni modicum patior.

§. XLIV.

De eo, quod rapta est in excessu, quando vidit gramina virentia in recordationem paradisi.

ET quidem in ipsa infirmitate mortis ante oculos mentis suæ diuinam præsentiam & amœnitatem paradisi semper habebat; & sicut auis clauso ergastulo egressum horis omnibus meditatur, ita ancilla Christi, vt ad auras cœli liberè euolaret, horam mortis hianti mentis ore captabat. Ergo die quadam allata pelui ante faciem eius, quâ sputum oris eius reciperetur, in ea graminibus positis, cùm subitò fuisset viriditatem graminum contemplata, recordatione illius æternaliter virentis paradisi, excessum mentis incurrit, in quo iam quibusdam refecta primitijs anima à corpore, cui miro amore coniungitur, libentius solueretur.

§. XLV.

§. XLV.

De mirabili cruciatu infirmitatis eius, & quid dixit super hoc.

Tribus diebus ante mortem cœpit in mēbris omnibus super omnē æstimationē hominis cruciari: ex quo cruciatu ossa illius ineffabili modo concussa tantum strepitum faciebant, ut sonus collisionis extra domum clarius audiretur. Aderat & adustionis dolor, ac si in unoquoque membro ignis tormenta sentiret. Si quis autem eam alicubi tetigisset, quasi parturiens exclamabat: & quidem corruptionis mirabilis indicia præferebant fluxus capillorum eius; sed ungulæ manuum eius & pedum de locis suis motæ sunt: cumq; nullius membri nec solo motu potestatem habebat, sola lingua libera dicebat Domino: Flagella Domine IESV, *flagella hoc corpus miserrimum, & in eo vindictam sume multiplicium scelerum, quæ contra te diutius attentauit. His similia multa ingeminans, nunquam in aliquo cruciatu eius facies mutabatur, sed semper in faciem Christi sui respiciens, læta & ridens apparebat in vultu. Et quidem cùm hora quadam Pater suus Spiritualis eam ad patientiam instantius hortaretur, anxio vultu eum reuerberans, nunquam, inquit, Pater in verbo læsisti me nisi in isto, quod quasi diffidens, esse me præcipis patientem, qua non solum istud minimum, sed etiam vniuersa*

vniuersa tormenta ab initio mundi excogitata in voluntate Christi Domini mei ferre parata sum. In quibus verbis ille puellæ constantiam recognoscens, congaudens ei laudauit nomen Domini.

§. XLVI.

De eo quod dixit matrem non dolere, sed gaudere debere de morte sua.

Post hæc matri dixit filia: Multum te gaudere oportet mater, quoniam Christus Dominus mortem meam tot tormentis accelerat. Et mater: non, inquit, gaudeo filia, sed potius tibi præ dolore commoriar. Cui filia: Absit, inquit, mater, absit à misericorde omnium conditore, vt te deserat desolatā: Scio enim quod in ipsa morte mea consolabitur te, vt me etiam gaudeas emigrasse: quemadmodum autem hæc prophetia ancillæ Christi veritatis consequatur effectum, suo loco postea referemus.

§. XLVII.

De eo quod corpus Christi sine vlla læsura suscepit, cùm tamen nihil aliud posset sumere.

Eadem die qua ex hac carne migrauit ad Christum, quæsiuit à Presbytero, si Corpus Christi susciperet: debilitata enim in tantum erat & hoc diu ante,

ante, vt guttam aquæ recipere non valeret, cui Presbyter bene & dignè respondisse fertur: Si, inquit, alius esset nullo modo consulerem, sed nunc tot bona tibi Dominus fecit quod credere non possum quin adhuc in parte hac suum sit miraculum ostensurus: allatum igitur Corpus Christi adorauit & sumpsit, & hoc ita liberè, vt in nullo penitus difficiles suscipientis arteriæ inuenirentur.

§. XLVIII.

De eo quòd Christus apparuit ei ante mortis horam, & dixit ei quod statim mori deberet, & Purgatorium peregisset.

NEc mora: Facto vespere in ea penitus omnis dolor absorptus est: ita vt nihil habere nisi debilitatem corporis videretur, in tantum vt aliqui qui circa ipsam erant recederent & in proximo surgere crederent iam sanatam, & non multò post horæ spatium, iteratò apparuit illi Dominus, & miratoria gratia sicut dilectissimam sponsam & filiam consolatus est dicens: quod Purgatorium suum totaliter peregisset, & quod statim secum victura migraret.

§. XLIX.

De eius mirabili laude in mortis hora, & de luce quæ circumfulsit faciem eius.

Interiecto igitur modico spatio tẽporis manus suas aspiciens risit. & contra omnium opinionem, quæ eam sanari credebant, dixit: Ego quidem iam delibor & momentum meæ resolutionis instat. & matri dixit: Ecce iã caro mea matri terræ, terrea comparatur. Tunc accurrentibus omnibus qui in domo aderant, releuate, inquit, me: cumq́; omnes renuerent, debilitatem corporis eius formidantes, coëgit illos, & in lecto releuata est quasi sedens. Tunc præcepit suis, vt manus sibi & brachia tenerent in altum, & ait omnibus, in magna cordis & vultus hilaritate: iuuate me vt laudem Dominum meum Iesum Christum, & dixit: tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, pro omnibus innumerabilibus bonis quæ mihi paupercula indignissimæ facere dignatus es. Cùm hæc igitur in honore SS. Trinitatis tertiò replicasset, dixit in magna vehementia spiritus, & ipsa vox eius multò maior & fortior facta est: Laus, inquit, tibi Christe bone, Domine & optime ac dulcissime IESV, *laus tibi, sit laus per omnia & in omnibus tibi: laude tua repleatur hæc domus, laude tua mundus iste totus & ipsi cæli ambitus cumuletur: laudet omnis creatura terrestris, laudent in cælo Angeli & Sancti tui, & pro*

me

me indigna laudes tibi exoluant: hæc audiens mater eius & qui circumstabant eam, intenderunt in faciem eius, & viderunt eam tanta claritate mirabilem, vt extra naturam humanam posita videretur. Et verè sic erat.

§. L.

De eo quòd dixit quod in morte nihil videret, nisi solum Christum & matrem eius, & quomodo migrauit à corpore.

Post modicum igitur matre sua de admiratione sua nimia respirante dixit filiæ: Vidésne nos filia? & illa leni voce respondens, non inquit te video mater mea, sed tantum audio: video autem præsentem solum Dominum Iesum & benignissimam matrem eius]. Nec mora, hæc dicens per se brachia sua leuauit & sub silentio diu sic iacuit: & cum post horam brachia replicasset, decessit pars non modica claritatis, non tamen tota, & dixit: iam plus non video Dominum Iesum Christum. hæc dicens quasi terrea facta est facies eius, oculosq́ dimisit, & post modicum spatium subridens paululùm, spiritum reddidit: & remansit schema oris eius in risu gestu corporis demonstrante, quoniam fidelis & prudens, Domini sui gaudium introiuit anno ab Incarnatione 1237. anno autem ætatis suæ 21.

§. LI.

De ſcala quæ apparuit in morte eius.

QVidam amicorum eius ſpiritualium in eius morte vidiſſe ſe dixit ſcalam argenteam à domo in quâ iacebat ancilla Chriſti vſque ad cæli faſtigia pertingentem, in cuius ſummitate glorioſa Dei genitrix Maria cum innumerabilibus virginibus ſtabat, iam iamq; animam reſoluendam expectans; tunc duas de collegio ſuo virgines mittens præcepit eis vt mox defunctã ſurſum per ſcalã adducerẽt: quod & fieri prædictus vidit, & in maxima gloria ſurſum perductam vt diuinis aſpectibus offerretur. O verè tu Beata & felix anima, quoniam tranſeuntem de corpore Chriſtifera Virgo Maria inuiſere dignata eſt, & cum ſacris virginibus ſuo collegio ſociare.

§. LII.

De eo quod completum fuit verbum eius, matrem ſcilicet ſuã cõſolandam in morte, & de gaudio quod effuſum eſt in omnium cordibus, & quomodo ſepulta eſt.

MOx igitur vt à corpore anima beata migrauit, nequaquã fleuerunt eam ſui, iuxta conſuetudinem mundanorum; ſed tantum gaudium in omnium cordibus effuſum eſt: quale multi eorum

nunquam

nunquam ante senserunt: Et hoc vsque in sepulturã eius integra iucunditate permansit: Tunc impletum est verbum ancillæ Christi, quod diximus, quo consolandam suam matrem in ipsa sua morte prædixerat. Et hoc in tantum vt cum spiritualis pater iam defunctæ, matrem eius consolari vellet, vidit eam tanta iucunditate repletam, vt rubicunda præ gaudio in facie videretur. Manè autem facto populus in magna constipatione ex omni parte confluxit: oblato autem sacrificio Dominici Corporis cum maxima solennitate Corpus traditur sepulturæ.

§. LIII.

De primo miraculo, quomodo brachium mulieris sanatum fuit ea sepulta.

NEc mora: *haud procul à sepulchro eius, Patre suo spirituali considente, accessit ad eum mulier cum brachio ab humero vsque in manum conflato, vt fieri solet in talibus, consilium expostulans, quo posset recipere sanitatem. Tum ille gaudens in spiritu, & in meritis mox sepultæ confidens, vade, inquit, & dic filiæ meæ, vt nunc mortua mihi, sicut quondam viuens obediat & roget Dominum vt te sanet. Mox mulier in verbo Fratris accedens ad tumulum sepultæ, dixit: Frater Zegerus per me tibi in hæc verba demandat, vt ei mortua, sicut quondam viuens obedias, & pro me Dominum roges, vt saner in brachio. Et vide quanta vis sermonis in Fratre,*

& quanta obedientia iam defuncta: mox namque ſub eodem temporis ſpatio, & hoc multis videntibus, mulier in brachio reſtituta eſt ſanitati.

§. LIV.

De mitra illius quæ poſt nouem hebdomadas ſub terra inuenta eſt candens cū odore aromatico & ſine corruptione.

IDem F. Zegerus cùm matrem Margaretæ ante mortem illius ſæpius iam rogaſſet, vt ſibi omnia quæ illius erant ſicut ſunt mitra, corrigia vel conſimilia reſeruaret. Poſt mortem illius ſingulatim ſingula requiſiuit. Mox allatis omnibus coram ipſa, ſola mitra capitis eius linea, inter cætera defuit. Tūc dixit matri illius: Vbi eſt, inquit, mitra? cui illa: putrefacta eſt, inquit, mitra illius: vulnus enim horrendū habēs, cū fuiſſet ſolutū, ſanie infecit mitrā, & hoc ita abominabiliter quod mitrā horrui lauare fœdatā, & extra domum terra abſcondēs putrefacta fuit, & hoc diu, quoniā nouē hebdomadarū tempus exceſſit. Tūc ille quaſi obſtomachās, oportet, inquit, vt mitram habeā etiam putrefactā. Mirum ſpectaculū. Aperta ergo terra, vbi mitra iacuerat, integerrima, candēs & ſine macula ſaniei reperta eſt, & hoc pluribus videntibus & admirātibus valde. Et hoc ſupremū in ipſa mitra miraculū, quod pro fætore ſaniei, tanto odore reſperſa eſt, vt eam inter ſpecies crederes aromaticas iacuiſſe. Pro quo miraculo, tanta ipſam mitram dictus F. ve-

neratione

neratione complexus est, vt eam illustrissima ac deuotissima matrona Domina Margaretæ, sorori Flādriæ Comitissæ sæpissimè denegaret, sed per eandē mitram sanitates fieri à dicto Fratre percepimus.

§. LV.

De eo quod quidam amicorū eius vidit eam quasi cryſtallino corpore, & in pectore rubicundam.

N*On diu post mortem ipsius, quidam amicorum eius spiritualium eā cum diaphano, id est, crystallino corpore, & rubicundam in pectore vidit: arrisit ergo illi cui apparebat, & dixit, illo beatiss. Agnetis vtens eloquio: Ecce quod concupiui iam video, quod speraui iam teneo, illi sum iūcta in cælis, quē in terris posita, tota deuotione dilexi. Et vide F. quā dignè hæc duo cōueniant, dū liliaceo candori translucido, rubor roseus & transparens iucundius admiscetur; in cādore notatur virginitas, in rubore eius charitas designatur.*

§. LVI.

De tribus locis quæ quidā vidit in paradyso, & locum vnum sortitam Margaretam.

Q*Vidā amico eius spirituali in vita ancillæ Christi, tria loca varia in Paradyso per visionem fuerant demonstrata, ex quibus locus vnus Margaretæ, reliqua verò aliorum duorum esse debebant. Post mortem ergo iam defunctæ, vidit ille qui prius, Margaretam locum suum esse sortitam:*

reliqua verò duo adhuc quidem vacua remanebant, sed implenda suis sessoribus fida mente speramus.


§. LVII.

De eo quod ipsa visa est astare cuidam Prædicatori cum libro aperto, & ostendere quid dicere deberet.

CVm quidā ex Fratribus nostris in ordine Prædicatorum in populo prædicaturus exurgeret, visa est manifestè Margareta cum libro aperto in exedra stare coram ipso, & quasi prædicanti ostendere quod dicebat. Postquam verò prædicauerat Frater, librum claudere visa est, subitoq́ disparens cælorum ardua penetrauit.

Hic finis vitæ & libri præclaræ iuuenculæ Margaretæ de Ipris. Orent ergo pro me qui hunc librum legerint, quatenus virtutem illius experiar, cuius virtutes fideli narratione descripsi, ad laudem & gloriam Christi, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT




B.M. ALANVS DE RVPE. ZVOLIS.
MB. f.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

De Beato ALANO DE RVPE *Zuollæ sepulto.*

ALANVM de Rupe virum ex ordine Prædicatorum, eruditione eximium, vita sanctissimum, constat plærasque Belgij partes peragrasse, atque in ijs assiduo concionandi studio ac labore indefesso, pro Christi eiusque sanctissimæ matris gloria, prout ab illa monitus fuerat, plures annos strenuè decertasse: ac tandem Zuollæ supremum diem fęliciter clausisse. Quare quem nonnulli patria Germanum, alij longè melius Britannum fuisse existimauerunt, nos tanto potiore iure nostratibus adscribimus, quanto illi magis faustũ fuit, omni virtutum merito cumulatissimum, è Belgio, sempiterna cælestis vitæ gaudia adijsse, quã ex ea in qua demũ natus sit terra, huius peregrinationis calamitatibus, maximisq; de salute periculis obiectũ fuisse. Alani patria eum, in prælium contra spiritualia nequitię grauissimũ crudelissimũq; produxit; Belgica verò victorẽ vidit, & ad immortalitatis arcem, vbi perẽnes agit triũphos, fęliciore sorte transmisit. Ergo Belgicis

sanctis

ſanctis iure optimo eũ adnumeramus, vt nõ minus Zuollanus & Belga dicatur, quã ſanctiſſimus ille Antonius Vliſſipponæ natus, Patauinus eſt appellatus: &, ſicut illũ alij Patauij decus vocant; ita nos Alanum Belgij lumen ac columen, pia gratulatione, pleno ore acclamamus, & tutelarem patriæ vouemus.

Porrò quæ fuerit vitæ eius ſeries, quæ ei diuinitus collata beneficia, admiranda ſane ac pene incredibilia, partim probatorũ ſcriptorum verbis, partim ex ipſiuſmet, ea de ſe ſuppreſſo nomine ad maiorem Dei gloriam narrantis, iurato teſtimonio, proferemus.

Imprimis igitur eũ in minore Britãnia natum teſtatur P. Cornelius Sneckis Roſtochij in Saxonia S. T. publicus olim profeſſor, qui Alano iã cano & ætate feſſo iuuenis vireſcebat, Michaelis Inſulani Coloniæ diſcipulus. Is (inquã) in opere ſermonũ de Roſario, Alanũ Britannũ facit; cui Leãder Albertus conſentit li. 4. f. 150. & breuiariũ ord. Præd. nuper à ſapientiſſimo P. M. Thoma de Maluenda caſtigatũ, in feſto ſanctiſſimi Roſarij. Fuit etiam Alanus ord. Præd. ab ineunte ætate adſcriptus; in quo ſtudijs Philoſophicis ac Theologicis diligenter incũbens, eximiã ſibi eruditionẽ comparauit, & emeritam Magiſterij laureã S. Theo. profeſſione promeruit. Eius diſcipulũ fuiſſe ſe fatetur in quodlibeto de Roſario fol. 25. Michael ab Inſulis, vir eximius

Eximius & Salubriensis postmodum Episcopus. At verò vtrùm doctrinæ, & eruditioni, virtutis studium perpetuò coniunxerit Alanus; haud constat, nisi quod ipse lib. de dignitate Rosarij B. Virginis cap. 5. scribit se aliquando fuisse variis peccatis obnoxium; sic enim habet. *Iste* (de se nonnisi tanquam de alio vnquam loquitur) *dudum magnus fuit peccator, à multis peccatorum speciebus vndique tempora per multa ligatus: vt hoc viso confidant peccatores. Ideo enim B. Maria innocentem non elegit, sed pecatorem: sicut Christus Magdalenam in spõsam.* Nihilominus vitam malè prius institutam seriò postea correxit, & Deo vberem gratiam largiente, tantos in virtute progressus fecit, vt diuinis reuelationibus recreari frequenter, Iesu Christi, Deiparæ ac B. Dominici alloquiis demulceri, insolitis donariis è cælo augeri, denique admirandis prodigiis celebrari, meruerit.

Cùm enim Rosarij amor eiusq; recitandi studium, quo cultu Virgo Deipara oblectatur, & ad preces fidelium audiendas prouocatur, penè interiisset; aruissentq; in cordibus hominum illa gratiarum roseta, quorũ semper verni flores hyemem nesciunt, peccatis medicinam præstant, cęlorum reginam vario virtutum colore adornant, odore recreant, & (vt ex spirituali cantico dicamus) præ amore Dei sui languentem fulciunt:

Cum

Cùm (inquam) aruiſſent diuina illa roſaria, quæ vel plantauerat olim ſanctiſſimus ordin. Præd. fundator Dominicus, vel fœcundis concionum ac virtutum ſuarum fontibus irrigua, ad priſtinam viriditatem & pulchritudinem reduxerat: Beatiſſima Dei genitrix, Alanum noſtrum eiuſce ſui cultus reſtauratorem elegit; qui ſedulò Roſarij ſibi longè gratiſſimi amorem, qui tum intepuerat, rurſum excitaret, priſcumque eius recitandi feruorem ſacrarum exhortationum facibus inflammaret.

Quare ei ſe conſpicuam fecit, de neglecto Roſarij cultu eum admonuit, quem vt totis viribus promouere ſatageret, rurſumq; ſacra illius ſodalitia aggregaret, imperauit. Diabolum hominum ſaluti inuidentem, magnis molitionibus pio illi inſtituto remoram injicere conaturum prædixit, atque ipſi Alano grauia illaturum: Affore ſe tamen in omnibus opitulatricem promiſit, fælicemq; totius rei progreſſum ſibi curæ futurum ſpopōdit. Et verò vt in munere hoc perſequendo inſtructior eſſet, atque confidentior; anulum ex ſanctiſſimi capitis ſui crinibus mirabili opere contextum dedit, beneficium ſanè rarum atque ineſtimabile. O certè vana omnia quæ miſeri mortales in pretio habemus; aurum, argentum, gemmas, & quidquid diuitiarum deliciarumve natura donare poteſt.

teſt. At virgineum hoc donarium, eſt beatorum quoque Angelorum, qui peritura iſta contemnunt, æſtimatione maximum; cuius reuera homo pretiũ neſcit nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Annulus eſt è cælo delat⁹, ex illis cincinnis cõpoſitus, quos adeò ſtudiosè extollit cæleſtis ſpõſus Cant. 4. vt ſe vnico illorũ inſpecto virginis amore ſaucium fuiſſe fateatur: & tamen, ô admirandam Dei benignitatẽ! Alanus illorum faſciculum poſſidet, intimi eiuſdẽ virginis erga illum amoris ſymbolũ; quæ etiã præſente Chriſto ſanctiſq; cõpluribus ſponſum illum ſibi aſciuit, ſpõſalitiaſq; arrhas dedit annulum illum, & Roſarium vnum quod eius collo iniecit. Hæc publicis ſcriptis, viri quidã pij iuxta & eruditi cõſignarunt, quorum verba hoc loco referre lubet. Primò quidẽ P. Ioan. Bonif. è Soc. Ieſu l. 2. hiſtoriæ virginalis c. 15. ita narrat. *Cùm Roſarij roſæ defluerent, ac feruor intepeſceret quem quõdam Eloynus Carthuſianus accenderat, quæ ſæuiſſimam Germaniæ peſtem Roſarij medicinâ fugaret; quemq; D. Dominicus omnium maximè inflammauerat; Deipara Virgo animorum medicinæ inuentrix expultrixq; morborum Alano mandauit, vt Roſarij ſodalitates rurſus aggregaret; quo autem ad id muneris paratior & pronior redderetur; concionibus adiutricem ſe fore virgo promiſit, edituramq; miracula. Quorum vnũ annuli fuit, quem ex digito virginali detractum, deq; ſanctiſſimi ſui capitis crinibus capilliſq;*

lisq́; contextum Alano dedit induendum. Quo ille dono erectus ac recreatus, annos quindecim Rosarij concionator fuit, diuinosq́; flores varijs mundi locis sparsit, qui odorem suauissimum exhalarunt. Subscribit Iodocus Beysselius opusculo de Rosario, qui præterea refert beatissimam Dei matrem Alano cælestium rerum cõtemplatione atq; admiratione occupato, sensibusq́; abstracto, ex illis suis vberibus lac Virgineum in os infudisse, quæ sponsi testimonio, botris assimilata pulchriora sunt vino. Scilicet versanti Alano in areola aromatum & castæ voluptatis horto, ibi dedit ei sponsa vbera sua, suauissimi nectaris fõtes. Verba Beysselij sũt: *Circiter annos Domini mille quadringẽtos septuaginta, deuotissimus doctor Alanus de Rupe Dominici patris vt professionem, ita pietatem erga Christiferam imitatus, antiquatam penè & aliquot iam sæculis deficientem coronariorum fraternitatẽ in lucẽ reuocauit, vtique eiusdẽ diuæ monitu, quæ quondã Dominicũ ad hoc ipsum impulerat. Siquidem ei diua Virgo vt alia pleraque, ita hoc reuelasse traditur, horrẽdas vniuerso orbi minas impendere: Itaque ad intermissas salutationum quinquagenas populos reuocaret; sic posse quamplurimos ab exitio liberari. Quâ reuelatione affectus vir sanctus, tanto ardentiore animo diuæ Christiferæ coronarios suscitauit, quanto remissiore iam defecerant. Nam tanta cura atque diligentia huic rei prædicandæ incubuit, cum alia pleraque loca, tum maximè Septentrionalem*

omnem

omnem Galliæ Belgicæ oram, & Saxonum in Germania terras perlustrans, vt multa hominum millia breuissimi temporis spatio huic sanctæ militiæ inscripserit. Et quid mirum, si Mariam iste in tantum zelaret, quando cum hac talem tantamq́ habuisse familiaritatem inueniatur, qualem homo cum homine mortali vix habet? siquidem hunc & despõsatum fuisse ab ipsa Diua asserunt, & cœlesti insuper ore deosculatum. Quod autem addũt, omnem fidem exuperat, virgineam Diuam exerto vbere lactis copiam oranti aliquando & contemplanti in os fudisse. Quò non penetrat Mariæ pietas! Putaret meritò quiuis hæc nec verò quidem similia esse, nisi diligeret iustos ac pios, quamquam mortales, potissima superorum natura esset. Iam verò harum veritatem rerum idem Mariæ sponsus tam grauissimo sub iureiurãdo astruxit, additis insuper diris imprecationibus si falleret; vt fidem cuique facere, etiamsi talis vita non fuisset, debuerit. Nomen autem suum cùm illa scriberet ad gloriæ humanæ fugam (vt ferè in talibus faciunt) suppressit. Hactenus præfatus auctor. Operæpretium verò est ipsum Alanum de Deiparæ nouello sponso (sic enim se nominat) hæc eadem commemorãtem audire. Is ergo cap. 6. Compendij de Rosario, ita scribit: *Et nihilominus ex Mariæ Virginis nouella desponsatione mirandis cum signis & prodigijs, psalterium hoc approbatur, & valde confirmatur. Quæ quemdam nunc viuentem desponsauit, magnis cum intersignijs, & anulo ex crinibus virgineis facto*

mirificè

mirificè desponsando: & eum simul gratia sapientiæ & potentiæ singulari prædotauit abundantius. Mãdauitq; ei frequentius cum Domino Iesu Christo, sub pœna mortis corporalis, & diuinæ offensæ, hoc sacratissimum prædicaret psalterium ad placandum diuinam iracundiam: & contra instantia tam in Ecclesia & in religionibus: quam in sæculo pericula inenarrabilia, dictum est ei ab eisdem, quod omnes perorantes, in breui erga se diuinam sentirent benedictionem. Quæ omnia vera esse, iã plurimis in terris facta inenarrabilia clamant prodigia, & extollunt opera Dei miranda. Eandem prædicandi Rosarij prouinciam ipse Christus, cuius vitæ præcipua capita sancto illo prædicãdi modo percurruntur, Alano (cui sacris operanti manifestus apparuit) serio demandauit. Nec defuit sanctissimus eiusce precarij instituti inuentor, aut certè primus ac mirificus propagator Dominicus. Is enim eximiam illam Spartam, quam admirabili opera & clarissimo vitæ genere exornauerat, in Alanum destinatum à Deo salutaris illius precationis renouatorem, transmisit; hæc vt lib. de dignitate Rosarij, Alani posthumo cap. 18. refertur, illum admonens: *Vides quomodo profeci per Virginem Mariam in sermone isto; id ergo facias etiam tu, & omnes Mariæ amatores: vt sic trahatis populos ad veram scientiam omnium virtutũ & morum, per psalterium Mariæ Virginis.*

Porrò Alanus talibus tantisque monitis

excitatus, armis instructus, præsidijsq; subnixus; Iesu Christi, eiusque sanctissimæ matris nomina, tanquam alter gentium Apostolus & vas diuinæ electionis, per Britanniam, Belgicam, ac Saxoniam circumtulit: eorum gloriam sacrique Rosarij amorem longè lateq; diffudit; totosque quindecim superstites vitę annos Mariæ laudibus prædicãdis, sodalitijs ad eius honorem aggregandis, conuertendisque ad meliorem frugem hominibus, assiduo labore incubuit atque insudauit.

Dolebat autem tenebrarum princeps diabolus, Mariam periculosi huiusce maris Cynosuram, sereno vultu splendescentem, Alani opera, discussis scelerum nubilis, naufragantibus fidelibus commonstrari: iniquè ferebat tot vbique institui virtutis palęstras, Confugia pœnitentiæ, Asyla pietatis. Quare in Alanum primarium omnium Coryphęũ, bellum molitur, grauissimisq; illum malorum incendiis circumcingit, ijs præsertim quę in vasta solitudine atque inter feras olim in frigido ac præmortuo Hieronymi corpore sola bulliebant. Datus siquidem fuit ei stimulus carnis suæ, qui eum acriter colaphizaret, & libidinum flammas casto pectori subjiceret. Nec verò singulare fuit illud certamen, quãquã è plurimis alijs prædurũ: Etenim truculentus ille seu qui S. Iob, seu qui Antonios, Macarios, Paulos, similesque complures ad insignem

insignem immortalis patientiæ palmã exercuit; septem annos Alanum nostrum crudelitate mirabili, & aperto, vt aiunt, Marte persequutus est. Ita verò, modo horribilibus spectris eum deterrebat; modò immani barbarie dirissimo verbere affligebat, variisq; tormẽtis excruciabat. quæ quia de se, more quidem suo, suppresso nomine Alanus lib. illo posthumo de dignit. psalterij cap. 4. & 51. aliisq; locis commemorat; eius verba hic subjicere lubet, quæ etiam refert Pater Andræas Coppenstein lib. 2. de Fratern. Rosar. cap. 17. Sic ergo habet: *Antequam ad Rosarij admirandam gratiam peruenit; assiduè cantabat hoc Canticum Mariæ, cupiens liberari à malis diaboli, carnis & mundi, & quidem a quibusdam est liberatus: sed alijs maioribus pugnis est impugnatus. Septem enim annis continuò à diabolo fuit crudelissimè tentatus, percussus & flagellatus; adeoq; fuerunt sæua hæc verbera, vt sæpius ei vitam extorsissent, & ipse in desperationem corruisset; nisi Maria Virgo eum adiuuisset. Quinimo sæpius tam vehementer agitatus fuit à spiritu desperationis, vt sæpe ei vitam extorsisset, & signanter semel; nisi visibilissimè in Ecclesia ordinis eiusdem, Maria eum liberasset, subitò tentationem profugando. Manus enim illius heu! trahebatur ad ferrum, & ipso nolente flectebatur brachium cum ferro ad guttur proprium, tã validè, vt tunc se iugulasset nisi brachium eius Regina pietatis tenuisset, alapa eum feriendo, dicens: Quid, ô*

 miser,

miser, quid agis? si me debitè inuocasses vt dudum solitus es, nequaquam in tantum periculum incurrisses. Dixit & disparuit. Sed & paulò post grauissima & incurabilis infirmitas eum arripuit; vt omnis hanc sciens, indubiè iudicasset hunc mortis v[illegible]inæ fuisse filium. Cùm igitur à dæmonibus vndique agitatus, turbatus conscientia, infirmitate grauatus, miserabiliter iaceret: vehementissimis suspirijs ad Virginem Mariam ita ferè clamabat: Heu me miserum mortis filium! Heu, quid faciam! cælestia mihi repugnant. Speraui me habere tuam, ô Maria, gratiam; & ecce grauiorem vndique decidi in maledictionē. Heu me, cur natus sum? cur religionem hanc intraui? Quò mihi valuit seruitium Dei tam durum? vbi veritas dicentis: Iugum meum suaue est? &, quod non permittat tentari vltra quam possumus? Ita ille cum Iob & Hieremia clamans deficiebat. Cùm ecce subitò post decimam noctis horam, resplēduit claritas Dei in cella, apparuitq́; beatissima Virgo Maria, quæ suauissimè salutato, & colloquijs multis lactato, lethalia dæmonum vulnera rigauit, & mox sana reddidit; simulq́; eum sibi, Domino Iesu Christo præsente & multis sanctis realissimè desponsauit. Hactenus ex Alani verbis.

Grauia verò ista sunt & admiranda, nec tamen hic finis aut à tentationum turba cōcessa quies. Etenim & à falsis fratribus, Pauli instar, plurima passus est Alanus. Nonnulli siquidem viri Ecclesiastici, seu quæ ille euulgabat miracula, atque eximia Virginis Deiparæ

paræ beneficia, vtpote insolita, non admodum probarent, seu (quod interdum fit) inuidiæ stimulis agitati iniquè ferrent summa omnium gratulatione prædicationis palmã Alano tribui: obloqui primum, deinde calumnias texere cœperunt; tum verò cõcepto odio etiam eas asserere sunt ausi, & innoxium Virginis clientem, dicam etiam (vt ipse se nominat passim) nouellum sponsum, apud Ferricum Tornacensium Episcopum impudenter criminari. Alanus verò ex iniqua illa diaboli per emissarios quosdam machinatione, non iam se solum impugnari, sed & pium ipsum Rosarij institutum periclitari ratus, Apologeticum scripsit, quo muneris sui rationem reddidit, & quæ à se vnquam de Rosarij admirandis dicta fuerant, verissima esse demonstrauit. Nihilominus periculosus ille cum personata (vt creditur) contrariorum pietate conflictus, ei causa fuit cur nonnihil remissius, & minus quàm par esset prædicandi Rosarij munere perfungeretur. Quod Christo eiusq; matri ingratum fuisse, ex eorum admonitione & increpatione cognouit. rem his verbis narrat ipse, præfato libro de dignitate psalterij cap. 13. *Vidit is aliquando, tempore celebrationis, in S. Eucharistia Dominum nostrum Iesum Christum quasi crucifixum, sicut fuit tempore passionis suæ; audiuitq; Crucifixi vocem, Tu me iterum crucifigis. cui ait*

persona hoc videns. O Domine Iesu Christe quomodo infœlix ego scelus tam nefandum perpetrare possum? Et Dominus Iesus. Tua peccata me crucifigunt, etsi non operando tamen omittendo. Cùm enim habeas scientiam & potentiam ad officium prædicandi, tu es reus omnium malorum quæ auertere posses, si prædicares psalterium meum. Factus enim es sicut canis non valens latrare, cùm tamen totus mundus lupis repleatur: & nisi te emendaueris, in Patre omnipotente iuro, quod tu de falso prandio mundanorũ ista accipies. Et subitò videbat quasi barathrum infinitæ voracitatis, vbi cernebat viros Ecclesiasticos & religiosos, & mundi potentes in copiâ innumera discumbentes, vbi nix, grando, ignis, glacies, & spiritus procellarum pars calicis eorum erat, omneq́; genus serpentum, cunctaq́; mundi turpia & horrenda: comedebantq́; vsque ad plenum. Tunc Christus ad eũ dixit: Ecce, ibi tua requies, si amplius silueris. At ille dixit: Domine quid me vis facere: & Dominus Iesus Christus; Prædica psalterium meum, & ne timeas. Ego pugnabo contra omnes, te pro ista materia impugnantes.

Alio quoque tempore affuisse sibi sanctissimam Deiparam, itemq́; secum de tepore & animi remissione expostulasse, scribit idẽ eiusdem lib. cap. 52. in hunc modum. *Sponsus nouellus gloriosissimæ Virginis Mariæ fuit aliquando raptus; postquã diu psalteriũ Virg. Mariæ perorasset. In quo raptu vidit assistentem Beatissimam Virginem Mariam, quæ sic eum allocuta est: Cur more*

solito

ſolito non deſeruis mihi in pſalterio meo? Rectè incepiſti: ſed acedia multum intepeſcis. Et ne modicam putes mercedem eſſe quæ tibi dabitur, ſi fideliter ſeruieris, vltra eam quam accepiſti; veni mecum, gloriã & excellentiam tibi manifeſtabo ampliorem. Sic igitur Maria ducente ad cæleſtia peruenit palatia, vbi vidit ciuitatem &c. Et poſt multa ac miranda, Beata Virgo inquit; Similes ſpopondi ciuitates cũctis ſeruientibus mihi in pſalterio meo. Tunc piiſſimus Ieſus ait: Ego, ô ſponſa chariſſima, tui amore me eis, cum omnibus poſtulatis in æternum condono, ſi perſeuerauerint in pſalterio noſtro. Tu verò (ad Alanum ſermonem conuertit) *adde, & fortius orare memento, & attentius ſi ciuitatem tuam volueris facere ampliorem, clariorem & ſuauiorem. Sicq; volens nolenſq; cæleſtia dimiſit, & in terra ſe triſtem reperit in parte, de tanta gloria dimiſſione.* Excitatus autem his correptionibus, ſedulò omnem nauauit operã vt intermiſſum prædicandi ſtudium, frequentioribus concionibus & multiplici fidelium fructu, maioreq; ſacri Roſarij incremento compenſaret; *ſemper in ore ſalutationem Angelicam (* verba ſunt Epiſcopi Salubrienſis) *ambulando, loquendo, prædicando habebat, & quandocunque aliquid pronunciare aut dictare volebat, prius quàm inciperet, genibus flexis, ſalutationis ſuffragio diuinum auxilium requirebat.* Cùm autem (vt aliis pleriſque ſanctis accidit) ſemel ad cæleſtia cõteplanda animo eſſe ieiuno & arido; eaq; de cauſa

anxiè torqueretur: apparuisse sibi & solatium attulisse mundi Reginam, in hunc modum scribit, cap. 56. *Speciositatis immensa & ineffabilis misericordiæ & dulcedinis benignissima Virgo Maria suum addidit visitare sponsum, infra octauas quasdam omnium sanctorum. Cuius infinita videbatur pulchritudo; adeò admirabilis, vt omnis mūdi pulchritudo huic comparata, videretur sola esse pictura & vmbra veritatis. Tantæq; suauitatis ac gloriositatis ipsa erat in suo aspectu virgineo; tamq; profunda in eloquio; vt omnium æstimationem hominū penitus excedat mortalium. Cumq; iam præfatus multis elapsis antea diebus satis vagabundè officium psalterij dixisset; de hoc suprà modum dolebat, quod attentè & sapidè illud psalterium dicere non valeret. Æstimabat enim psalterium nihil sibi prodesse, cùm ad idem non posset attendere, singularissimè ex dæmonum maxima tentatione, quâ mente quam plurimum totus erat obtenebratus. Hunc igitur Domina nostra trepidantem & de Ecclesia fugere volentem, alloquitur, dicens. O dulcis fili, ne fugias. Ilicò diuina tunc virtute pedes eius terræ inseparabiliter adhæserunt. Rursus Domina ad eum: Si de me meisq; puellis dubitas: signa me signo sanctæ crucis, cunctásque mecum quas vides puellas. Et si quidem à maligno sumus, fugiemus: sin autem, fortius stabimus, & clarius tibi apparebimus, quod & fecit, &c. Quibus peractis Domina ad eum ait: O fili iam non dubites; tua enim sum sponsa, sciásque non sine afflictione in hoc mundo posse quenquam*

viuere.

viuere. Nam nec ego, nec filius meus, nec alij sancti hoc habuerunt. Quin imò te præpara sub armis fidei & patientiæ ad varia plus quàm vnquam, sustinendum tentamenta. Nec te, ô fili, elegi vt pigriteris; sed vt bella mea tanquam miles inuictus prælieris. Et peramplius non terreat te ariditas mentis, quam me volente aliquibus diebus passus es. Hoc enim debes capere tanquam supplicium in pœnam pro tuis peccatis; & ad promotionem patientiæ & virtutis, atque pro salute viuorum & defunctorum.

Plurima alia sanctissimo Alano contigerunt diuini erga eum amoris argumenta; plura etiam Belgio pietatis exẽpla reliquit; quæ tamen nos consequi non potuimus. Dabit quod speramus, aliquando Deus vt huius sancti viri aliorumq́ue Dominicanorum qui Belgicam magnis sanctimoniæ radijs illustrarunt, gesta ac nomina è tenebris situq́ue eruta, lucem plena fronte aspiciant: nos transennam tantum damus; & futuro operi rudera tantum, & impolitas materias præiacimus. Ex ijs tamen quæ percẽsuimus, cõstat Alanum nostrum sanctitate insignem & eximium patientiæ decus, Belgio, concionum frequentià, editisq́ue miraculis non parum profuisse: & nunc quidem etiam prodesse confidimus, quando calamitatum & grauissimorum certaminum, quorum illi cessit victoria, iucunda recordatione percurrit. Multæ illi, vtpote iusto, tum alibi tum in

Belgio tribulationes fuerunt; verum de omnibus illis liberauit eum Dominus.

Quando in continuo atque durissimo agone fuit; vires suffecit Christus, Deipara tutelam attulit, spectarunt & auxiliati sunt angeli: Nunc verò quâ putas victorem corona donauit Christus; quas addidit gemmas intexuitque Deipara: qua modulatione beati illi spiritus ter fælicissimum Io accinuerunt; quo celeusmate in æternitatis portum inductum Alanum exceperunt, quando bonum certamen certauerat, cursum consummauerat, Deo & Virginisponsę suæ fidem seruauerat? Porrò ad cælestem illam gloriam sanctissima Alani anima commigrauit anno salutis 1475. celebri Natiuitatis Deiparæ festo, cum eiusdem Virginis Assumptionis die morbo affligi cœpisset. Obijt verò ac sepultus est Zuollæ, quæ ciuitas est Belgica Tripoloos Transisalanæ. Meminerunt Alani Trithemius lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ sanctę, Historici omnes ord. Præd. & plures alij.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

De Beatæ memoriæ MARGARETA DE GERINES *Bruxellensi.*

PROXIMVM erat vt de veterum patrum ex conuentu Bruxellensi sanctitate sermonē faceremus, si quæ nobis ex temporum iniuria antiquæ virtutis vestigia superessent. Floruisse quidem in eo Danielem quendam Iscanū vitæ sanctimonia clarum scribit Ioānes Gramaye in sua Bruxella, ex vetustis illius cęnobij tabulis: nihil tamē de eius gestis cōpertū est. Quocirca Bruxellā vltra nonnihil progredimur; & inter plurimas virgines é celebri monasterio Vallis ducissæ ex ord. Prædicatorum ab Aleide Brabantiæ ducissa extructo, in Margaretæ laudes excurrimus. Situm est Virginale illud Dominicanarum iuxta Bruxellam rubeæ vallis Regularium S. Augustini cœnobio proximum: ex cuius bibliotheca 2. p. noualis Sanctorum, auctore R. P. Ioanne Gilemans B. Margaretæ vitam deprompsimus, & vt ab auctore conscripta est damus.

GESTA

GESTA VENERABILIS AC RELIGIOSISSIMÆ VIRGINIS MARGARETÆ DE GERINES, NATIONE BRVXELLENSIS, CONVERSÆ IN VALLE DVCISSÆ Cœnobio ordinis Prædicatorum, iuxta Bruxellas.

TEmporibus nostris in quos fines sæculorum deuenerunt, floruit in Brabantia quidam flos virgineus, omnium virtutum decore adornatus, qui in quodam cœnobio Sanctimonialium ordinis prædicatorum degens, totius sanctitatis & perfectionis exẽplar extitit, dum aduixit. Nam tantæ charitatis, humilitatis, puritatis, paupertatis voluntariæ, obedientiæ, patientiæ, ac deuotionis semper fuit, vt ego qui hæc scribo, tester, cunctis familiarius mortalibus eam noscens: quod similem ei per omnia non cognouerim in diebus meis. Hæc de honestissimis nata parentibus in ciuitate Bruxellensi, a patre suo viro notabili plus cæteris liberis amabatur; quia à sua pueritia non solum decora facie, sed etiã Deo deuota erat in voluntate, & opere. Huic nomen Margareta cognomento de Gerines, quæ in ætate puellari vsque ad annum

annum vitæ suæ decimum octauum deguit in sæculo: nihil tamē constat eam puerile gessisse in opere. Quin imò magnum tædium concepit, videns aliquas vanitates mūdanásque delectationes exerce[illegible]ic sæpe contigit vt se sequestraret ab his, & in camerulâ suâ libenter sola habitaret. Cùm autem esset vndecim vel duodecim annorum postquam rediisset à scholis, statuit in animo [illegible] permanere casta & munda apud parentes suos: nam de statu monastico nihil penitus nouerat, & per consequens, affectum ad eundem nondum conceperat, eo quòd secundum sæculum educata fuerat. Mansit itaque in hoc proposito, domi, vsque ad annos duodeviginti; legens aut scribens, siue quodpiam aliud iuxta matris desiderium, operans. Interea dum ex aliquo monasterio audiret campanulas pulsari, corde clamauit ad Deum apud quem erat totum desiderium eius: & consueuit noctis clanculò de lectulo suo surgere, & cùm locum oportunum haberet se solotenus extendere: instanter obsecrās Dominum quatenus adhuc sibi tempus & locum aptum præstare dignaretur, quo ei deuotè ministrare valeret. Insuper in pueritia existens consueuit super nuda carne se quadam nodosa cordella circumcingere: quod quidem genus longo tempore exercuit, concernens pœnalitatē pœnitentialē. Quā cito autē valuit sese à mundi vanitatibus abstraxit. Nam cùm in domo parentum aliqua solatia exhiberi conspexit; ingens tædium exinde concepit, & ad secretarium cubilis sui confugit. Præterea cùm genitrix illius sibi discumbenti præciperet vt surgeret, & quoquam iret;

iret; illa in ipso itinere locum secretum captans, super nudā terram se extendebat, & intensissimè Deū exorabat, quatenus eā ad talem locum perducere dignaretur, vbi ab omni mūdana vanitate libera, eiusdem seruitio aptari mereretur. Denique cū anno vitæ suæ vigesimo appropinquaret, prouidente Deo concepit amorem ad statum conuersarum: tum quia humilis erat, tum quia ad statum monialium sufficienter instructa non fuerat.

Demum consecuta est desiderium suum, & suscepta in ordine & numero conuersarum; in quo vsque ad finem vitæ suæ religiosissimè Deo seruiebat: multa tamen aduersa & tentamenta tam ab intra quàm ab extra perferebat. Nam frequenter dolores capitis sustinuit, & surditatem aurium circa initium suæ conuersionis acquisiuit: pro cuius incommodo remouendo, mellifluos rithmos in materna linguâ, vbi tacitè plangit spiritualem delectationem quam in auditione diuini officij haurire consueuerat, sibi ablatam, composuit. Hac enim vna causa fuit quare surditatem incurrisse adeò se doluit, quia videlicet diuinum officium dum decantaretur, audire non valuit. Alia causa extitit pro eo quod confessor illius propter eam vexatus fuit. Attamen in omnibus huiuscemodi corporalibus aduersitatibus patientissimè se gessit; imò in cunctis quæ Deus illi immisit, se promptam & hilarem, cum quadam gratitudine animæ, ad suscipiendum, præbuit. Testificata est autem aliquando quod contra voluntatem Dei non optaret ad momentum oculi, suas mitigari pœnalitates:

tates: pro earum tamen ablatione Deum aliquando deprecata est, propter causas præfatas; videlicet quia contigit alios, præcipuè confessores, vexari propter eam: & quia diuinum officium audire nequaquam valuit dum cantaretur, aut legeretur; quod eidē valde graue extitit, prò eo quod tantum delectari consueuerat in auditione canticorum Ecclesiasticorum, quod aliquando sibi visum fuerit cælum desuper apertum. In his omnibus patientissima inuenta fuit, ac semper Deum laudauit, & ipsum laudari ab aliis flagitauit pro omnibus aduersitatibus suis, quas nihil aliud quàm dona Dei æstimauit. Denique aliquando tam debilis fuit quoad caput, siue occasione aliarum grauitatum superuenientium, quod vix potuit legere horas suas: & tunc consueuerat se conferre ad aliquem locum secretum & liberum, & sic offerre Deo cunctas aduersitates suas pro sacrificio singulari laudis & honoris, orans cordialiter eum, & dicens: Mi dilectissime animæ meæ, opera mea non sunt talia vt ex se tibi placere queant: verumtamen paterna voluntas tua in me adimpleatur, ita vt si perspexeris mihi non sufficere aduersitates quas patior, addas mihi maiores, secundum quod nosti imbecillitatem meam cum gratia tua posse tolerare. Et quamuis non valeam te laudare cum his qui seruiunt ac iubilant tibi die ac nocte, secundum desiderium tuum: saltem me dignam facias vt te sequi merear onusta pondere sanctæ crucis tuæ, ac grauaminum meorum.

Intrinseca quoque tentamenta quæ pertulit, non minima erant, tum ex naturali timore, tum ex diabolica immissione. Nam cùm frequenter diuinis consolationibus & dulcedine spirituali perfrueretur; peruênit ad notitiam eius vulgare illud prouerbium quod communiter recitatur, quod non est nimis bonum plurimas internas dulcedines in præsenti tempore sensibiliter experiri. Hoc attento insurrexit aliquando timor quidam in cor eius, ne fortè Deus inposterum tanto minorem consolationem illi conferret, quanto maiorem in præsenti tempore prærogauit: nam sensibilem deuotionem & lacrymarum gratiam non modicam persentire in oratione consueuit. Hinc accessit aliquando diabolus, tentans eam ac dicens: Putásne quod hæc sit seruitus Deo placita? Æstimas te de dulcedine ad dulcedinē peruenturam? Non vtique sic ad illam pertinges. Huiuscemodi tumultuosis insultibus nitebatur eam debellare hostis antiquus; cui illa corde, pariter & verbis, respondere consueuit, dicens: Amore Dei & Domini mei prædilecti libenter volo æternaliter damnari, dummodo ita placuerit illi: nec desidero ad ictum oculi in cælo consistere contra voluntatem eius. In omnibus igitur prompta est voluntas mea, in quibus quoquo modo propagari laus sua possit. Neque enim Deo seruio propter gloriam (id est, qua ipse me glorificet) suam, sed propter seipsum & bonitatem suam: nam si nec cælum esset, nec infernus; vellem tamen illi ministrare, & adhærere totis visceribus anima mea. Aliquādo etiam diabolus suggerebat illi, & immittebat quòd

nunquam

nunquam veniret ad fruitionem Dei; quasi opera sua mala essent & insufficientia; & quod Deus vellet ei in præsenti tempore tribuere quod deberet in posterum æternaliter possidere. In his quoque tentamentis patientissima inueniebatur & longanimis; sperans quod Deus eam á se finaliter non separaret, si ipsa eidem fidelis & obediens vsque in finem consisteret. Confortabat quoque sese & consolabatur contra diaboli suggestiones, nitentis eam in desperationem inducere; per diuersorum sanctorum exempla: vt puta Petri Apostoli, Dominici, siue Arsenij: quibus gratia lacrymarum & spiritualium delectationum copiosè in hac vitâ donata extitit; quos tamen diuina misericordia vsque in finem non deseruit, imò in cœlo præ multis beatorum spiritibus altius sublimauit. Non tamen illos sanctos in exemplum assumpserat quasi æquiparando se ipsis, cùm è conuerso sese magnam peccatricem confiteretur: sed in augmentum suæ spei, illos assumptos in memoriam reuocabat. Insuper & Deum in omnibus euentibus laudabat, siue prosperi essent, siue aduersi: nec enim sensibilem deuotionem magni pendebat, sed quando spontè se offerebat, eam cum gratiarum actione sumebat, & quamdiu sibi licebat, frequentabat & continuabat. Porrò quando diabolus hanc deuotam ad pusillanimitatem inclinare nitebatur: illa frequenter, cõuersa ad Dominum, flebilibus oculis dicere consueuerat: Domine Iesu, sicut vis, & sicut scis, miserere mei. Si fuerit honor tuus, libenter volo condemnari. Etsi nunquam premiarer, à tuo seruitio non separabor in

 æternum.

æternum. Tribulatio verò corporis & omnia aduersa sunt mihi ad sustinendum solatiosa, propter te; etsi deberem æternaliter infernum possidere. De amore Dei protestata est hæc fidelis spõsa eius, quòd nec in cælo nec in terra quisquam viueret, pro cuius amore magis lãgueret: nam si cælum & terra sui iuris essent, prius ea mergi in profundũ ac deperire sineret, quã Dei amorẽ relinqueret. Dilexit igitur eum ex toto corde, id est, sapienter; ne in errorem deduceretur, ad quem eam diabolus deducere conabatur, vt dictum est: sed illa semper in amore Dei constanter perstitit, ac proinde ipsius molimina vicit. Dilexit igitur eum ex tota anima sua, ne illiceretur carnalibus desiderijs & illecebris; quia mundanas delicias non amauit: imò nec ipsa necessaria corporis sustentationi sumpsisset, si eis carere potuisset. Sunt & aliæ spirituales deliciæ, quas etiam propter seipsas non appetiuit, propter sui saporem aut dulcedinem sensibilem: sed mera intentio ac desiderium suum fuit honor & voluntas Dei, in amaris & dulcibus, in carẽtia & fruitione. Nam qualitercunque Deus opus suum operabatur, ipsa semper eũ laudabat & venerabatur. Dilexit etiã Deũ ex tota mente, ne ab eo auerteretur per distractionẽ & incuriam. Nam meditatio eius in conspectu Dei semper fuit; sciens quoniam nos omnes in corde Dei conscripti sumus. Et admirans quomodo in vnico temporis momento cor nostrum ab eo separari patimur, & obsequium amoris illius obliuisci; conquerebatur in hũc modũ, dicens ad Dominũ: O mi chare Deus, quale extat cor illud quod sui Creatoris potest obliuisci? hic planè infidelior est quã fur & latro: cùm tu, amabilis

Domine, locutus sis per prophetam Isaiam dicentem: Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum vt non misereatur filio vteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Postremò dilexit Deum ex totis viribus suis, ne deprimeretur aduersitatibus ingruentibus, assumens pro se illud Apostolicum dictum, & dicens cum B. Paulo: Quis nos separabit à charitate Christi? neque tribulatio, neque angustia, neque nuditas, neque fames, neque pericula, neque gladius, neque instantia, neque præterita, neque futura, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu. Vnde satis admirabatur quomodo cor humanum aliquam querelam deponere valeat in quacunque aduersitate; præsertim cùm Deus nullo in tempore sit nobis propinquior quã in aduersitate. Ad hanc igitur dilectionẽ Dei consequendam, hortabatur & alios, in hunc modum: Præbeamus nosmetipsos integro corde ad amorẽ Dei: Atque vtinã cuncta quæ facimus ad dilectionẽ eius inflecteremus, quanta, putatis, dilectione & quã amabiliter Deus sese ad nos inclinaret! Porrò dilectio eius ad homines tam pura fuit, quod nunquam ex ea detrimentum passa sit animæ suæ, sed principale conamen illius erat cũ Deo occupari & amori illius inhærere. Nunquam immunda somnia perpessa est, nec in vigilia quidem tentationes huiusmodi notabiles persensit, præcipuè cum consensu. Imò quando tales insurgebant, statim restitit: ac nihilominus eas sacerdoti humiliter confessa fuit; & cum puro desiderio coram oculis diuinæ maiestatis semper ambulauit.

Rigorem naturæ sectabatur, & illud quod erat in se acerbius, gratius ipsi semper extitit. Semper bene contenta fuisset nunquam dulcedinem aliquam in cibo aut potu experiri; nec vnquam tam parum de alimentis percepit, quin ex hoc contenta fuit: quin imo sibi visum fuit quod nimium habuit aut abundauit. Siue comedebat, siue bibebat, semper oculos Dei supra se attendebat. Inter prandendum, cùm nimia sitis eam inuasit; recolere cœpit amaram sitim quam Dominus in cruce pertulit: & tunc de plenario haustu aliquid abstraxit. Similiter de cibis, sicuti ad mensam ministrabantur salsi vel insulsi, contenta fuit; nec aliquem defectum in his emendare curauit ad saporem augmentandum & appetitum prouocandum; nec aliquid additamentum in edulio ad dulcedinem vel salsamentum pertinens adhibuit. Aliquando dum de gratia Dei & hominum aliqua tosta in partem suam suscepit, valde parum inde gustauit, dummodo id sine nota præstare potuit, alioquin, se alijs conformare maluit, potius quàm de singularitate notaretur, aut superstitionis argueretur: aut excusare se curauit, dicens quod stomachus suus consumere non valeret tosta pinguedine perfusa. Reuera stomachus animæ fuit, qui in ea in tantum elanguit, quod nullam penitus dulcedinem terrenorum ciborum appetiuit, sed solummodo gratiam diuinam ad faciendam voluntatem dilecti sponsi sui. Denique quanto illam plus imitabatur in maceratione carnis suæ, tanto magis languebat. Aliquoties quoque satis anxiè anhelabat ad sponsum suum, & omnia quæ

ad eius

ad eius laudem & amorem prouocabant, libentissimè amplectebatur. Aliàs, nulla lætitia sub cælo valuit eam lætificare; & quamuis inter gaudentes consisteret, Dominus tamen nouerat cor illius. Sæpe tamen ingens gaudium in spiritu persentire consueuit, quod cor & corpus eius adeò lætificauit, vt si illud non compesceret, reuera ipsum per risum, siue per cantum manifestare eam oporteret. Statimq; post hæc altius ingemuit, & soli Deo laudem dedit, recolens quod si prædicta gratia maximo peccatori totius mundi donata fuißet, forsitan fælicior & sanctior & Deo gratior extitißet. Cùm de sero lectum petere cogeretur; quamuis in culcitra communiter dormiret, potius elegißet nuda stramina ad cubandum, si aliarum sororum notitia & offensa non obstitißet. Cùm omnes in quiete consisterent, illa ceruical de sub capite suo abstrahere consueuit, & abscondere, ne à custode videretur, quæ ipsam ad matutinas suscitare venit: quod tamen raro fuit, quia ipsa penè semper ante pulsum vigil erat. Deinde ingens pœna fuit ipsi solicitudo corporis; cui eam necessariò tantùm commodi & seruitÿ impendere oportuit, quod tamen discretè ipsam fouere necesse fuit: quemadmodum æger vtitur medicinis. Cùm aliquando licentiaretur manere de matutinis: surrexit secretissimè de stratu suo, & mansit pernox in orationibus, extensa super nudos asseres, sola cooperta tunica, orando prò cunctis amicis & pro vniuerso mundo. Insuper singulis noctibus, antequam stratum peteret, etiam sese, faciendo venias & petitio-

 nes,

nes,extendebat, vt prius; ob memoriã Domini nostri Iesu Christi iacẽtis in principio noctis cum sanguineo sudore super nudã terram: & post hæc cũ magno timore disposuit se ad dormiendũ,cõmittens se diuinæ prouidentiæ: Adeò mortificata fuit à mundanis delicijs, diuitijs & honoribus, quod non optaßet existere domina totius mundi, vt cogeretur illi seruire ac per omnia satisfacere, imò potius passa fuißet mẽbratim dissecari,ac deinde singula membra detrũcata coram oculis suis iactari,atque tandem truncum proprij corporis in sanguine suo volutari: quàm à statu suo religioso ad conuersationem sæcularem reuocari. Denique in nulla delectatione mundana vnquam delectari potuit:neque saporem notabilem in cibis & potibus, vt prætactum est, requisiuit. Solatia & visitationes amicorum penitus recusauit; his duntaxat exceptis,qui sibi in verbis & moribus conformes extiterunt. De sanguineis enim sæcularibus non curauit,siue sorores eßent,siue vterini fratres: hoc tãtùm gratuitè præstitit eis,vt in eorum prosperitate cõgauderet eis,& in aduersitate condoleret,orans Deum vt illos ita purgare dignaretur in vita præsenti, quatenus fieri apti mererentur ipsius faciali visione in futura. Siue diuites fuerint siue pauperes,æquè rogauit pro eis Deum, nihil appetens de bonis eorum. Cùm autem venissent ad visitandam eam,patienter sustinuit,quia præferebant imaginem Dei sui: alias præsentiam eorum ægerrimè tulisset,& quod domi mansißent prælegißet. Porrò quod diuitias superfluas respuit;patet præcipuè ex hoc quòd nihil in his præter

sobrium

sobrium victum requisiuit. In habitu & vestitu, omnem decentiam & munditiam dilexit, ad modum earum cum quibus deguit. Non erat sibi tam charus amicus, à quo consensisset accipere aurum vel argentum, siue aliud quodcunque notabilis precij; quin potius illud prælegisset diuidere communitati. Insuper & illa quæ sibi erant ad vsum concessa optabat sibi auferri, & nihil præter simplicem vestem, qua corpusculum proprium tegeret, derelinqui.

Optabat quatenus corda sororum suarum adeò vacua fuissent ab appetitu temporalium bonorum, quemadmodum erat cor suum; & quod pro hoc collum nudare potuisset corā spiculatore, adeò mori desiderabat pro amore ac salute proximorum. Nuper venit ad eam soror quædam de conuentu suo, cui obsequium manuale præstiterat, volens ei recompensare ac beneficiale munusculum in gratitudinis aliquale signum rependere. Cui illa respondit: O bona soror, munus tuum sit tibi, & donum tuum serua, quoniam nihil horum quæ sunt huius mundi requiro, præter ea quæ mecum portare potero, cùm de hoc sæculo recessero. Sicque sororem illam contentauit, & á sua largitione cessare fecit.

Præterea famam, honorem, ac laudem hominum nec appetiuit, nec quæsiuit: sed inuisa & neglecta inueniri summè desiderauit. Idcirco sese alijs cum quibus viuebat, bono modo in exteriori conuersatione conformabat: quia opera sua virtuosa nullius reputationis æstimabat. Cùm quidam amicus

eiuſdem ſpiritualis ab ea ſinceriſſimè dilectus, cui etiam frequentes litteras direxerat, ab ea flagitaret quatenus permitteret ſibi eas alijs communicare ob Dei laudem & proximorum ſalutem propagandam, propriumq́; meritum augmentandum, non conſenſit; ſed eidem in hunc modum reſcribendo reſpondit. Mi dilecte frater, Deſideraſti à me quatenus non diſpliceat mihi, quod in ſcriptis lectis, & operibus meis in eis perſpectis; laudetur Deus & ædificetur proximus, ac meritum meum propter profectum inde prouenientem, augmentetur: quod vtique non diſpliceret, ſi opera mea eſſent digna, vt tanta bona ex eis prouenire poſſent. Sed, proh dolor, non eſt ita: cùm ſim peccatrix egena & indigna. Quod autem me aliter dilatas apud deuotas mentes, quas familiariter diligis, non mihi placet: nam quanto maiorem me aliquis reputat, tanto amplius obligor Deo viuere, ac virtutes illas exhibere & exercere, quæ mihi forſitan indebitè adſcribuntur, cùm actualiter non poſſideam; quod vtique exiget à me. propter quod non ſum contenta; quin occultes, & mea ſub ſilentij modio recondas.

Bene puto ſcire quod ex bono affectu famam meã dilatare deſideras: ſed ego timeo quod Deus abſtraheret à me mercedem, poſtquam ſuſcepero humanam laudem. Idcircò obnixè deſidero, quod literas meas non proferas in publicum, nec eas ab alijs videri ſinas, ſed abſcinde aut abrade ab eis dulce nomen Ieſu, & conculca eas ſub pedibus tuis: quia ſicuti de illis ſentio, ſic ſincero corde tibi notifico, quod propter vilitatem

litatem persona mea aliter de ipsis iudicare non valeam. Non solùm ex præmissis, sed euidentius ex subsequentibus testimonijs eius, humilitatis ipsius profunditas considerari potest. Nam sicuti sensit; ita protulit, quòd licet digna fieri posset vt cum B. Paulo Apostolo vsque ad tertium subleuaretur cœlum; hoc ipsum non ponderaret prorsus: sed si sentire posset cor abyssaliter mortificatum, ad tolerandum probra & opprobria, propter Deum patienter, imò libenter paratum: hoc modo sese aliquantisper consolari posset. Sed propter affectus suos adhuc sensuales; talem consolationem non admisit. Proposuerat tamen in animo suo, & seruare contendebat, vt cunctas aduersitates ex diuina prouisione sibi aduenientes, grato animo susciperet. Præterea, cùm ex charitate cogeretur dona ei commissa suo familiari amico reuelare; opponebat ex aduerso defectus proprios, vt sic ipsa in humilitate firmiter perseueraret, ac illum ad compatiendum sibi incitaret hoc modo, & vt ipsa illum de seipsa sentire humilia informaret, nihil singulare sibi indebitè attribuendo, sed ipsum Deum pro ea tanquam pro defectuosa peccatrice suppliciter exorando. Altiora se non quæsiuit, & profundiora scrutata non fuit: quia sese dignam non esse putauit cõsectatu viarum Dei sublimiorum, neque singulariũ bonorum ipsius, quæ largiter distribuere consueuit electis suis qui se continuè altis exercitationibus occupare consueuerunt. Igitur via communi ac simplici gradiebatur, ac alijs in conuersatione exteriori se conformabat, pro eo quod laudem humanam nimium verebatur.

verebatur. Aliquando conuersabatur læto vultu inter suos, recreans eos hoc modo; sed Deus nouit grauitatem cordis eius. Denique, postquam saporem alicuius gaudij, non dico sæcularis, quod penitus non amauit, vt prætactum est, sed etiam spiritualis, persensit: statim intra se rediens gemere consueuit, ac soli Deo laudem ascribere, recogitans quod non sit tam grandis in mundo peccator, cui si diuina pietas semel tribueret sentire, quod ipsa sæpissimè fuerat experta; sacratius forsitan ac beatius viueret.

Quando igitur oculos reflexit ad opera propria, fluebant lachrymæ multiplices de corde illius, cùm sedulò consideraret quod vita sua nō foret digna æquiparari conuersationi, qua electi Dei in hac vita illi placere studuerunt. Præsertim autem nouit multorum deuotorum corda mirabiliter per subtiles raptus ad diuinum amorem pertrahi: sed ad tales raptus non aspirauit, quia nec se dignam æstimauit; ac propterea se in humili ac simplici conuersatione fundauit; præcipuè quia tam debilis capitis extitit, quod tam arduos aditus, nisi raró, attentare non valuit: præterquam tantummodo per intimum desiderium, quod excedebat vires naturæ suæ. Super alta fundamenta ædificare nolebat, nisi tantummodò super humilitatem suam ac simplicitatem: hoc affectans ex toto corde, atque ad hoc laborans, vt nullius reputationis haberetur apud omnes homines, propter amantissimum Dominum Iesum, qui nos hoc ipsum docuit, verbo & exemplo, ab anno vitæ suæ duodecimo.

mo vsque ad trigesimum; in quo tractu temporis omnibus hominibus ignotus permansit. In orationibus suis adeò pura extitit, quod super nullam penitus creaturam sensibiliter requieuit: sed quoniam pro suis charis apud Deum intercedere voluit, pactum cum suo sponso facere consueuit, quatenus omnes & singulos eius precamina flagitantes, nominatim in libro aperto cordis Iesu ascribat, orans atque obsecrans vt illis conferat illa, quæ nouit eam ipsis optasse.

Mentales orationes potius quàm vocales frequentare prælegit, & corde tenus orando internas meditationes Deo libentius obtulit, quam ore tenus legebat. Inter orandum, Deum laudabat, admonebat de omnibus beneficijs suis, eidem regratians, ac si corporaliter cum amico loqueretur. Vnum verbum continuò versabatur in ipsius ore, quod proferre solebat quando cordialiter orare volebat: O diligibilis dilecte animæ meæ. Ita Deum suum nominare consueuit; sed continuò intra se rediens & reminiscens magnitudinis eius, contremuit quoniam tam audacter regem regum & dominum, labijs nominare præsumpsit. Aliquando etiam visum est sibi quòd in præsentia & in memoria ipsius penitùs liquescebat, absorbebatur & deficiebat pro incõprehensibili magnitudine ipsius: dubitabat igitur qualiter eum congruenter inuocare deberet. Verũ recogitans amorem cordis diuini exhibitum humano generi in assumptione naturæ illius, spem & fiduciam concepit ipsum alloquendi, & familiariter inuocandi; quoniam, vt ipsa confessa est, nomen

nomen illius extitit dulce tanquam mel labijs suis, & veluti nutrimentum quoddam cordi ipsius: propter quod fiducialiter depromebat, dicens: Oro te dilectissime anima meæ, non te offendat quod nominare præsumam sanctissimum nomen tuum: sed laudando te purgetur in me quodcunque tuæ majestati displicuerit. Quotidie affectauit spiritualiter sumere Eucharistiam, & ad eius gratiam percipiendam deuotè se disponebat: aliquando etiam quando sibi vacabat actualiter se ad eam præparabat ac si debuisset eam suscipere corporaliter. Itaque in venerabili Sacramento altaris experta est aliquando quandam profundam & integram vnionem spiritus sui cum Deo, veluti dilecti cum dilecta sua: præbens sese illi, & iterum attrahens eum ad se, atque stringens inter brachia cordis sui castissimis amplexibus, ac si eum corporaliter coram se præsentem haberet; addita sibi aliquando gratia lachrymarum, non tamen abundanter; sed de hoc non multum curauit: quippe quæsierat dilectum suum, & nihil aliud in cælo & in terra; ipsumq; inuenerat quem amabat: idcirco nihil amplius desiderabat. Tumq; sibi visum fuit quod dilectus suus integraliter redactus fuerat in ius & possessionem suam: & reciproca vice ipsa concupiuit totaliter fieri iuris eius. Quanto autem illa deliciosiùs eo perfruebatur, tanto anxiùs eum sitiebat. Cùm igitur cogitaret quod dum ipse visibilis ac mortalis incederet super terram, non sibi licitum fuit deosculari vestigia sanctorum pedum eius; neque in eius passione aut morte acquirere vnicam guttam sanguinis illius,

illius, ad purificandam & diluẽdam animam suam: cùm eum in Sacramento altaris integraliter haberet præsentem, hoc sibi dulcius extitit ad recolendum: & in eo adeò liquescebat memoria & meditatio eius, quod affectabat per effusionem proprij cruoris recompensare illi amorem illum, quamuis martyrio sese dignam non iudicabat; quatenus hoc modo posset intrare in cor diuinum. Proinde si licuißet sibi ea die qua communicabat, propriâ vti voluntate, & fragilis natura ipsam non coegisset nec molestasset: corporalem cibum aut potum pro tunc non gustasset. Itaque pro tam mirifico beneficio Deum ex totis præcordijs suis, Deum inquam quem præsentem habebat, & in venerabili Sacramento Altaris corporaliter vel spiritualiter acceperat, magnificauit: & vt opere ex parte sui, ipsum cum seipso & in seipso laudaret, intensè obsecrauit: admirans intra seipsum & dicẽs: Quid potuit Deo eße cordi; quod nobis præstaret cymelium seu iocale tam preciosum? Ideo præbuit illi singulis horis millies cor suum; orans & interpellans singula casta corda, insuper cælum & terram, montes & valles, quatenus eam iuuarent laudare atque benedicere Dominum Deum suum prò tam beatifico dono in hoc tempore, ac post modum in æternitatè. Cùm multi ac diuersi reperiantur modi contemplationum; ne vnum quidem aßumpsit hæc deuota pro se aut pro suo exercitio ex scriptis, aut elegit ex libris; præterquam solummodo ex vita Domini nostri Iesu Christi: cùm omnia quæ ex libris doceri poßunt, in ipso reperiantur eße conscripta. Itaque fatebatur se eße

simplicem

ſimplicem & indoctam; inſpirationes tamen diuinas ſequi, dixit eſſe ſcholam ſuam; & in vita & paſſione Chriſti cōtinuum ſtudiū ipſius. Primum & præcipuū ac dulciſſimū in contēplatione aſſumēdum, iudicauit effluxum deitatis in humanā naturam; quo largiter videlicet tanta maieſtas ſe ad noſtram exilitatem inclinauit. Ipſe quidē nos ad ſuam ſimilitudinem & imaginē creauit; cùm tamen non indigeret opera noſtra neque ſeruitio noſtro: In Chriſtiana fide nos propagauit & plantauit præ multis, qui ab hac gratia ſunt excluſi; & per conſequens filij æternæ dānationis relicti. Hæc & his ſimilia reuoluens, ſeſe nimiam debitricem illius recognouit, ac proinde cor ſuū in diuinum amorem accendit. Dehinc in ſua cōtemplatione proceſſit, quomodo Deus hominem exaltauit per humiliationem vnici filij ſui vſque ad formā ſeruilem: ſicq; pertractans benedictam vitam & opera filij Dei; dehinc paſſionem eiuſdem & reſurrectionem, ac tandem glorioſam in cælum aſcenſionem.

Non remanſit dies aliqua in hebdomada, quin acceſſum haberet in ſua meditatione ad aliquod præmiſſorū, non ſine lacrymis & deuotione multa. Singulis igitur diebus ad hoc exercitium aptabat horulā vnam: & quia nec infrà vnā horam, nec infrà vnā diem potuiſſet ſingula debitè ruminare: diuiſit meditationem ſuam in ſeptem particulas, aſſumendo qualibet die vnam pro ſuo exercitio ſpirituali. Igitur, vt de cæteris virtuoſis meditationibus reticeamus, quibus ſingulis horis abundabat: exercitiū hoc Dominicæ paſſionis deſcribemus, quod ſemper feria 2. inchoabat

à tem-

à tempore quo Christus postremò venit in Ierusalē, ac post modū à charis & amicis suis separatus extitit. De cœna nouissima, & de illis quæ ibi contigerunt, vsque ad tēpus quo ligatus adductus fuit in domū Annæ Pōtificis, & illic retrusus extitit in obscuro penu: illicq; cū eo & ipsa requieuit illo die, non sine lacrymis & profundis cogitationibus singula quæ illic cōtigerunt interim deuota mente reuoluendo. Insuper eundo post hanc horā, & redeundo, stando & sedendo, edendo & bibēdo, aut aliud quid faciēdo semper penè erexit meditationē suam ad illū passū, in quo illa die coluit & recoluit Deū suū, recogitans & reuoluens eius humilitatē ac dilectionē & patientiā vbique locorum: & post hæc nitebatur se illi in his virtutibus cōformare pro suo modulo, cōsiderās & retractās quod Dominus dominorū erat penitus expers cōmodi corporalis, & preciosis ferculis caruit: & sic opuscula & exercitia sua ad rectitudinis illius normā correxit, & ministeriū corporis in omnibus requisitis, Christū sequendo, aliquātisper tēperauit. Hoc itaque modo singulis diebus cōtraxit familiare contuberniū cū Domino Deo suo, & recreabatur atq; quiescebat in eo, sicut ipse donabat: quod sigillatim longū esset hic recensere; & ideo conuenit nobis dies subsequētes expedire. Feria 3. contemplata est quā ignominiosè perductus est dominus Iesus ad Pilatū, & omnia quæ interim & postmodū cōtigerunt circa eū vsq; ad flagellationē: illicq; tādē requieuit die illo. Feria 4. recogitauit qualiter tenera caro eius flagellata, & caput coronatū extitit: & omnia quæ illi cōtigerunt vsq; ad iudiciū mortis inclusiuè, illicq;

pausauit

pausauit illo die. Feria quinta reuoluit qualiter maledicti illi canes cum opprobrio multo eduxerunt ipsum de ciuitate ad crucifigendum per tam laboriosam viam, & illic recoluit quàm fatigatus stetit in monte Caluariæ: amplexans eum inter vlnas animæ suæ, & suscipiens eum in mundo linteo conscientiæ propriæ, illicq́; repausans illo die. Feria 6. recoluit consequenter omnia quæ contigerunt illa die circa crucifixionem Domini vsque ad expirationem illius; insuper & sepulturam eius, ac materni cordis dolorem. Sabbatho requieuit cum Christo in sepulchro, reuoluens qualiter amicos suos in limbo inferni detentos visitauit & liberauit, attendens etiam nimiũ amorem illius erga humanam naturam, quoniam tabernaculum corporis sui dignatus est tam diu relinquere in sepulchro, cùm statim post mortem potuisset illud eleuare in cælum. Porrò Dominica die studuit & intendit profundæ meditationi coram aliquo altari, eleuatis manibus, sed magis eleuato corde; & tunc percurrit itinerarium filij Dei à principio, videlicet à tempore quo dignatus est de cælo descendere in vterum virginis vsque ad annum vitæ ipsius trigesimum quo baptizatus fuit à Diuo Ioanne Baptista: inchoando semper ab eius diuinitate, ac benedictam vitam ipsius in generali & compendiosè commemorando, cum breuibus & profundis meditationibus; secundum quod ipse Dominus donauerat. Dehinc omissa passione ipsius, in qua singulis diebus hebdomadæ sese exercitauerat vt prætactum est: assumpsit memoriam resurrectionis eius iucũdæ,

atque

atque ascensionis gloriosæ, quæ super omnia ipsam exhilarabat. Illicq́; miscens amicabilia & familiaria colloquia cum Domino, congaudebat illi, quem cernebat tam potenter & virtuosè conscendere in gloriam suam, quam quodammodo deseruisse videbatur, cùm propter excessus nostros expiandos degeret nobiscum triginta annis in hac valle lacrymarũ, tribus additis. Nos eramus omnes nati filij mortis: sed per sanctam fidem Catholicam ille regenerauit nos in spem viuam: faciens nos hæredes & participes regni sui. Non esset explicabile quantam dulcedinem concepit in huiusmodi meditatione, præsertim cùm attenderet naturam humanam hoc modo super omnia exaltatam, ipsamq́; materiam esse dulcedine plenam. Itaque regem ascendentem in multitudine gloriæ suæ prosequebatur passibus amoris intimi: fauens ei ex corde omnem honorem. Tuncq́; salutauit quinque vulnera, offerens illi proprium corpus & animam; Insuper & charos amicos suos, atque vniuersum mundum. Salutauit insuper regale caput illud, quod in passione fuerat spinis multipliciter perforatum; sed & singulos crines eius, qui sanguineo sudore fuerant madefacti; ac deinde vultum eius gratiosum, qui propter nos extitit percussus & conspuitus: dehinc oculos, genas & os eius benedictum: orans eum & obsecrans quod amabilem faciem suam ad eam inclinare dignaretur, in remissionem peccaminum suorum in hora mortis ipsius. Coram patre cælesti cùm rex gloriæ sederet in sede maiestatis suæ, accessit illa fiducialiter ad eum cum profunda reuerentia.

rentia, supplicans pro necessitatibus suis & aliorum instanter: nouerat enim quod principes in tempore gloriæ & ostentationis suæ non renuunt dare id quod petitur ab eis. Sicq; illa frequentauit curiam die hac Dominica, inter Deum Patrem & Filium eius vnicum, inuocans consolatorem Spiritum sanctum, atque hoc modo tractauit dilectum sponsum suum. Tandem præsentauit Patri cælesti dilectissimum filium suum cum vniuerso thesauro meritorum eius in tempore & in æternitate, pro omnibus creaturis: vt eas per ipsum gubernare & conseruare dignaretur in æuum. Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias. Etenim sicut lilium seu rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit: sic hæc electa Dei sponsa redoluit per memoratas virtutes inter cæteras sorores suas, quæ veluti spinæ computabantur quæ pungunt animū possidentis; & hoc propter diuitias, quas illæ in vsu habebant, leuabant, distribuebantq; illas quibuscunque volebāt, data illis licentia à Præsidente: hæc autē non sic vsquequaq;, imò ea quæ ad eā ex patrimonio attinebāt, altera ex parte Priorissa procurabat; de quibus tamen necessaria sua paucissimè ista sumebat. Et licet illa quātum ad hoc cōpetenter steterit; nihilominus tamen pro sororibus suis vehemēter doluit, quod mos ille distortus inoleuerat in collegio earum, in tantum, quod timuit se nunquam lætam futuram quamdiu viueret: imò fatebatur quod hoc sibi maiorem pœnam generaret, quàm experta fuerat in hoc mundo, quo ad pressuram & angustiam cordis quæ multiplex fuit in ea. Qua de causa sæpissimè ingemiscebat

gemiscebat & exorabat Deum nocte dieq́, quatenus rectores ordinis sui dignatione ac prouisione illius ita illuminari mererentur, vt per eos illa, quæ sibi in ipso ordine displicerēt, abscinderentur, ac penitùs eradicarentur; vtq́ videre posset diem illum quo sorores cum bursa, more aliarum religiosarum sub regula Beati Augustini viuentium, degerent: & omnia quæ ad proximi vsum sibi tanquam licitè concessa gaudebant, promptè ad vsum communitatis, iuxta intentionem sanctorum Patrum, participarent. Ipsa verò inter illas sic vixit & sic stetit, quod si omnia earum bona, reditus & prouentus sola posedisset; libenter & ex sincera charitate eisdem impartißet ac diuisisset; potius illas, quæ minus prouisæ fuerant fouens quam eas quæ magis: nec ex hoc penitus murmuraßet si ex præfatis bonis non plus quàm aliæ in hoc articulo participasset. Adeò cor eius liberum erat à terrenarum rerum appetitu, quod eßet penitus inexplicabile. Vnde & commemorare consueuit earum labilitatem, dicens in corde suo: O Deus, quæ sunt facultates istæ mundanæ, quibus miseri homines ardentissimo amore innituntur & inhærent? sed væ illis qui plus eas diligunt quàm sunt diligendæ. Licet autem vt prædictum est ipsa prouisionem bonorum suorum non haberet, sed altera eius soror à Priorißa sibi deputata; propter maiorem securitatem conscientiæ suæ, in manus eiusdem Priorissæ ipsa bona, prona voluntate, pluries resignauit. Quæ respondit illi, quatenus ratum habuit quidquid soror illa de ipsis bonis actitauit, quamuis illa personaliter

ipsa bona sibi non ministrauit. Sed & confessorem suum Sacræ paginæ professorem super huiusmodi statu suo sollicitè consuluit: qui sibi respondit quod totum onus animæ ipsius super se tollere vellet, sub hac conditione, quod singulis horis parata foret omnia & singula quæ in vsu habebat, verbi gratia ea quæ soror præmissa sibi reseruabat, sine murmuratione in manus præsidentis, quandocunque ipsa voluerit & petierit reponere. Hæc igitur posuimus ne putetur hæc fuisse proprietaria, sicut nec fuit.

Desiderium ingens habuit hæc beata longo tempore ante mortem suam, dissolui & esse cum Christo: vnde contigit vt tandem votis potiretur, vt speramus, optatis. Interea euenit vt in cœnobio eius construeretur habitatio sororibus admodum oportuna; ad cuius etiam maturam perfectionem plurimum anhelabat. Ipsa verò peroptasset ædificari sepulcrum suum ad quiescendum in eo; vt hoc modo spiritus eius astra peteret, & cum Deo suo requiesceret, non propter gloriam suam adipiscendam, sed propter seipsum: quoniam omnia quæ ipse aut ipsius non erant, crux & tormentum ad audiendum & videndum sibi fiebant. Sustinuit itaque tempus peregrinationis suæ patienter, cùm attenderet vbi erat & vbi non erat. Cùm interim aliquando deambularet in pomerio, ac cerneret flores & herbas diuersimodè germinantes iuxta proprietates suas, saporémque & odorem mirificum producentes; vix continere valuit cor suum. Cùm igitur attenderet dulcedinis illius Creatorem, & pulchritudinis omnis quam illic cernebat, authorem;

rem: replebatur cor eius ingenti gaudio, & desiderio ad locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Præterea quando in noctibus aspexit lunam & stellas clarè rutilantes; vix se continere potuit quin in cantum vocalem prorumperet, psallendo hymnum Ambrosianum seu aliud quid gratiosum: imò putauit quod cor suum rumpi deberet, præ desiderio cælestium. Habuit tam ingentes commotiones & affectus ad Deum suum ex intimo amore, quod neque comedere neque bibere valuit, sine magno tædio & multiplici gemitu cordis sui. Nempè cæteris gaudentibus, ipsa oppressa erat intimis & grauibus pressuris, sine aliqua forinseca ostentatione; & propterea sibi grauiora erant quæ pertulit, quoniam desiderium eius semper stetit in quadam restrictione ac repudio ab omni solatio temporali, quod natura quoquo modo requirere consueuit. Cùm sederet ad mensam in prandio siue cœna, diuersas meditationes concepit, videlicet de pœnis inferni siue purgatorij, ad quas anima sua propter temporale solacium (quod timuerat sese nimis admisisse) forsitan deputanda erat. Aliquando etiam de gaudijs super cælestibus, considerando gloriam summi Patrisfamilias cum sua dilectissima comitiua, cui præest in conuiuio cælesti. Harum cogitationum tot ac tanta generabantur in ea, quod de nullo solatio quod in mundo inuenitur gaudere poterat; neque in cælo, nec in terra quidquam reperiri poterat in quo cor ipsius requiesceret, præterquam in Deo solo. Diligebat tamen sanctos & electos illius

Propterea, vt fatebatur, non habuit adeò dilectum siue dilectam ex omnibus charis suis sæcularibus, qui eam corporaliter affectabat, quin libentius habuisset quod non venisset. Tota verò intentio sua totumq́ desiderium erat cum Deo semper occupari in hoc tempore; & nihilominus cum illo lætari in æternitate. Denique si vidisset eos coram oculis suis, qui illi mortem inferre, & vitam auferre voluissent, libenter ac voluntariè illam amore Dei sumpsisset; quatenus hoc modo citius ad ipsum peruenire potuisset.

Hæc sunt quæ ipsa Christi sponsa mihi, in Christo præ cunctis mortalibus sincerè dilecto, reuelauit: qui etiã præ cæteris viuentibus merui ita scire ac orationum eius assiduitate potiri. Idcirco autem ad notitiam fidelium ea protuli, vt laus Dei exinde augescat, & profectus legentium seu audientium crescat. Vale Margareta, & cultoris tui senectutem orationibus iuua. Amen.

CAPVT



B . M. BRIGIDA HOLLANDA. M. bas f.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

De B. BRIGIDA Hollanda.

ANTONIVS Senensis in chronico ord. Præd. ad annum 1390, refert floruisse illius instituti virginem quandam in Hollandia, vitæ sanctimonia celebrem, Brigidam nomine; qua tamen vrbe locove nata sit aut vixerit, non meminit. Eam ex tertio B. Dominici ordine (quem vulgo de pęnitentia vocamus) fuisse, affirmat Michael Pius prima parte suæ hist. pag. 506. ex vetusto alio Dominicanæ Religionis chronico. Fuit verò Brigida illa quatenus præfati scriptores prodiderunt, virgo sanctissima, mundo eiusque illecebris mortua, solique Deo perpetuo vixit, quem toto cordis affectu vnicum dilexit, atque omni virtutum studio anxiè quæsiuit. Carnem ieiunijs perdomuit, eamque durissimis modis exagitans, animi mancipium esse fecit. Vulnerauerat etiã adeò charitas Christi cor eius, vt iugi patientis & è cruce pendentis sponsi meditatione ac commiseratione exardescens, quæ ille pro generis nostri salute vulnera est passus, animo assiduò perlustraret, fleret, & adoraret, lachrymasq; inter & suspiria

& suspiria sacras illas plagas cordi suo, doloris scalpro insculperet. Et verò vt in elanguida iam carne & mundo crucifixa, etiam apparerent quæ cordi infixa erant sacrorum vulnerum stigmata, raro magnoque beneficio concessit Christus. Is è cruce pendens (qualem scilicet illa perpetuò contemplabatur) Brigidę conspiciendum se dedit, & quinque præcipua, pedum scilicet, manuum & lateris vulnera, illi impressit: vt cui mūdus crucifixus erat, & illa mundo, animo nimirum & sancta atque cælesti conuersatione; meritò tum, cum Apostolo dicere posset: *Christo confixa sum cruci.* &, *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Non vulgaris profectò fuit Brigidæ sanctitas quam adeò illustri fauore dignatus est virginum sponsus & gloria Christus. Præter hæc verò, (quæ tamen maxima sunt) de rebus præclarè à Brigida gestis, nihil vidimus: imò & quo anno vixerit non satis constat.

Porrò non existimamus cuiquam insolens futurum, quod B. Brigidæ sacrorum Christi vulnerum signa impressa fuisse scribamus. Quamquam enim id de sanctissima virgine Catharina Senensi, vlloue alio præter sanctū Franciscum ord. minorum fundatorem dici, pauci quidam olim ægrè permiserint: vix tamen est hac ætate quispiam in sanctorum historijs vtcumque versatus, qui nesciat plu-

res

res in diuersissimis mundi partibus, sacris stigmatibus celitùs insignitos fuisse. Et verò vt exterarum nationũ sanctos prætereamus, in Belgio præter Brigidam nostram aliæ etiã eo munere donatæ fuerunt. Siquidem beatam Gertrudem Oostensem, Beghinam quidem, quæ tamẽ Dominicano tota penè vita cõfessario ac directore vsa est, quinq; Christi Saluatoris nostri plagas ita luculenter recepisse, vt palã purum cruorem crebro profunderẽt; refertur apud Sur. to.7. de vitis SS. die 6. Ianuarij. Sanctissimam quoque Lyduuinã patria Schiedanensem, eiusdem cælestis beneficij participem fuisse narrat Ioãnes Brugmanus ord. Minorum, lib. 3. de vita præfatæ virg. cap. 3. Vide de hoc argumẽto sacrorum stigmatum, eruditam disputationem P. Vincentij Iustiniani Antistiti Valentini, viri ex ord. nostro S. T. Eximij Prof. Antuerpiæ recusam anno 1611. in qua quidem deprehendes aliquot ex S. Dominici ordine virgines, adeò eximia charitate Christo sponso confixas cruci extitisse, vt admirando priuilegio, etiam ipsi carni sacra vulnera inhæserint. Has inter, Brigida Belgica varijs (vt scribit Senensis) reuelationibus illustris, pedes, manus, ac latus confossa habuit, quò sponso cõpateretur in lachrymosa hac vita, vt in beata corregnaret.

Capvt

Caput vigesimum sextum.

De beatæ memoriæ Dodone *Frisio.*

IN Frisia Dodonem quendam ex ord. Prædic. se vidisse virum eximia sanctitate præditũ scribit Thomas Cantiprat. lib. 2. de Apibus cap. 1. p. 15. *Vidi* (inquit) *& alium eiusdem ordinis, virum beatum valde longæua ætate prouectum, Dodonem nomine, Frisonem natione, qui prædicatione sedula tantum in sua Frisonum gente profecit, vt eam à ferocitate sua plurimum mitigaret. Ab antiquissimo enim tempore in consuetudinem immanissimam hæc habebant Frisones: vt occiso homine vnius cognationis ab altera, occisum corpus non sepeliebatur à suis, sed suspensum in loculo seruabatur & desiccabatur in domo, quousque ex cognatione contraria in vindictam occisi, plures vel saltem vnum aduersa cognatio pro morte vicaria trucidaret: & tunc primum mortuum suum sepulturæ debitæ cũ magna solẽnitate tradebat. Hunc crudelissimũ & inauditum morem, dictus frater in illa gente remouit, & ad mitiorem statum crebra exhortatione promouit.* Hactenus Cantipratan. cui, nomen & laudem Dodonis debemus, vtinam

vtinam plura de illo perſcripſiſſet. Porrò, ſunt qui Dodonem noſtrum, non diuerſum ab eo fuiſſe ſuſpicantur, quem interdum monachum Friſium, interdum Eremitam appellant. Ad quod quidem coniecturę loco afferunt, quod eadem omninò ætas, idemq; curriculus annorum fuiſſe videatur Dodonis cuius meminit Cantipr. & illius Eremitę. Is enim auctor ſcribit Dodonem noſtrum, quando nimirum illum ipſe vidit, fuiſſe valde longæua ætate prouectum: Conſtat autem Eremitam grandæuum obijſſe anno 1231. qui Cantipratano erat circiter vigeſimus nonus. Cùm ergo ætate Cantipratani vixerit Eremita ille, ſi diuerſus eſſet a noſtro Dodone, illius profectò (aiũt) meminiſſet in opere de apibus, in quod præclara ſui ſæculi geſta, ſanctorum virorum mulierumq; exẽpla reſque memorabiles ad communem vtilitatem congeſſit. Cùm enim externa etiam exempla ex alijs mundi partibus petita, magno ſtudio ad eum finem conquiſierit, quis (inquiunt) credet ſua ætate atque in ſuo Belgio viuentem Dodonem illum, virum miraculis editis raraq; abſtinentię & ſeuerioris vitę gloria clariſſimum, ſub ſilentio prætérijſſe? Addunt inſuper, non referre, quod Monachus & Eremita dicatur: tum quia potuit eſſe, antequàm Dominicanum inſtitutũ arriperet, & inde nomen Eremitæ retinere,

tum

tum quia Dodo ille Dominicanus, versatus est in Frisia, quando nullum iis in partibus erat cœnobium sui ordinis: vnde & monachus communi scilicet nomine, & Eremita, ob vitam austeram & solitariam, dici potuit. Verùm in re obscura penes alios iudicium esto, nihil definire nobis licet. Quæ tamen de Dodone Eremita ab Amplissimo viro Georgio Coluenerio habere potuimus, subjicere lubet, vt & quibusdam fiat satis, & videre possit quisque, quid ex ijs de re proposita coniectari licet. Anonymi ergo scriptoris verba sunt. *Dodo cùm adhuc sæcularis in domo paterna ageret, præter eximiam erga proximos, & maximè pauperes charitatem, etiam bonam semper studuit habere conscientiam. Parentum nunquam non monitis obtemperans. Ante omnia verò in frequentandis Ecclesijs, ieiunijsq; obeundis sedulus. Patre vita functo, amicorum importunitate ad matrimonium vi quasi pertractus est. Sed post annos paucos sæcularis vitæ pertæsus, ad Religionem animũ applicuit. Vnde cum vxore & matre, fratribus de horto S. Mariæ sese addixit, seruiens ibidem Deo die ac nocte in timore & reuerentia. Postmodum verò secretiorem expetens locum, vbi solus soli Deo melius perfectiusq; famularetur; Rogauit Abbatem vt ad talem aliquem transmitteretur locum, vbi sequestratus à turba commodius Deo seruiret: Vnde missus est Baccafeen, locum sic denominatum, vbi constructa cellula annis multis vitam egit solitariam,*

riam, varijs interim dæmonum impetitus insidijs, spectrisq; die ac nocte infestatus. Quadam enim vice cellula sua per exiguum egressus ostiolum, vt in Ecclesia oraret, completa oratione dum rediret, ostium ita obstructum reperit, vt ingredi non quiuerit, vnde forti robore in ostium insiliens, vi patefecit aditum, dæmonibus cachinnantibus, ac fuga sibi consulentibus. Matrona quædam obsessa à dæmone, Dodonem vt malignum spiritum à se depelleret supplex adijt, sed dæmon hospitio cedere nolens respondit; nec Dodonem, nec mortalium quemquam effecturum vt feminam deserat, quin triduo ante obitum, quod & factum citius est. Insuper & multa quæ postmodum ei euenerunt, ab hac dæmoniaca percepit, nimirum quod relicto pristinæ habitationis domicilio, ad locum qui Hasca nominatur esset peruenturus. Nec mora. Nam eò se conferens vitam ibidem asperam, in victu, vestituq; traduxit, carnem ieiunijs, vigilijsq; iugiter edomando; necnon & assiduo fletu, gemituq; orando pro se, ac pro vniuersa sancta Ecclesia Dei. Singulis diebus vno contentus cibo, alternis piscibus & cereuisia, alternis verò solo pane & aqua contentus, sextam autem feriam sine vllo semper transegit cibo. Vestitus eius primo ad carnem septem ferrei circuli circa latera sua fuerunt, duo circa brachia, contentus insuper cilicio. Postmodum lorica indutus est ferrea. Ad vltimum verò laneas habuit tunicas duas, & desuper scapulare, sicq; die ac nocte sine vllis mutatorijs incessit. Lectus durus

durus fuit sine vsu puluinaris: nam natta pro strato vsus est, pro ceruicali verò ligno concauo, cuius concauitas veste erat operta, idq; exemplo Christi Saluatoris, qui pannis inuolutus positus est in præsepio. Media nocte semper consuetus surgere ad Matutinas: quibus finitis orando pertraxit noctem vsque ad tempus missarum, disciplinando interim corpus, & genu sæpius flectendo. Quinque centenas genu flexionum singulis diebus & noctibus, & sæpius plures faciebat. Genua eius ad instar cameli, assiduo precum vsu indurata fuere.

Et quia diuini Numinis cultor fuit integerrimus, idcirco plurima per eum Dominus operatus est miracula. Veniens enim diuina reuelatione Hascam: reperit ibidem locum incultum, in quo nihil erat præter structuram modici sanctuarij duas continentis imagines, quarum vna Crucis, altera Deiparæ Virginis fuit. Stans autem quodam tempore coram Crucis effigie, cùm vocatus à socijs discedere vellet, audiuit vocem quasi de imagine Crucis sonantem. Quare sic acceleras? diutius enim hoc in loco permansurus es. Cùm adhuc ageret in Baccafeen, edito sanctæ Crucis signaculo, aqua prandij tempore immutata est ei in saporem vini dulcissimi; idq; accidit in præuigilio Dominicæ Natiuitatis & Sanctorum omnium.

Cæterùm expletis aliquot annis in Baccafeen, cùm à famoso atque insigni quodam clerico Wibrando de Hasca

de Hasca inuitatus esset vt Hascam migraret, idq; circa S. Andreæ festum, pedes transiuit multorum cum admiratione omnia fossata, vnius tantum noctis frigore indurata. Vnde fama per circum vicinam regionem longè lateq; diuulgata mox ingens ad eum factus est concursus, maximè verò ægrotorum, ac varijs languoribus oppressorum; è quorum numero curauit non paucos. Insuper & puellam quandã morbo laborantem caduco solis sanauit precibus. Clericus quoque tumenti cute ad instar leprosi horridus, cùm aliunde eò esset adductus, per Dodonem pristinæ est redditus integritati. Filia cuiusdam Rippridi sacerdotis de Kerslote paralytica precibus eius sanitatem recuperauit. Quidam ægrotus de Mestermeer oblatus est Dodoni ligatis manibus ac pedibus, nimia enim oppressus infirmitate quasi ad insaniam redactus videbatur, qui tamen per imaginem B. Virginis ac S. viri preces adeò est curatus, vt cùm ligatus in nauim adductus esset, in reditu nauim ipse incolumis regeret, vnde collati in se beneficij memor domum reuersus, vaccam candidam ex cæterarum numero delectam, in honorem Dei & Beatæ Virginis Dodoni transmisit.

Alius quidam eodem natus loco, consimili laborabat morbo, simili quoque cruciatus est modo, qui & ipse se gratum exhibuit. In nocte Dominica Resurrectionis dum frater Dodo pro veteris Ecclesiæ recepta consuetudine tolleret crucem suam, eamq; deportaret circa Ecclesiam extrinsecus, cùm venisset ad orientalem partem cæmiterij, vidit crucem ascen-

dentem

dentem de terra in alium nonnihil locum procedere, & paulo post ex oculis euanescere videntibus idem alijs qui præsentes aderant.

Cæterum Dodo probatæ vitæ atque optimæ conuersationis cum esset; ac toto quinquennio vitam solitariam in Hasca transegisset, seruierat nimirum Deo ac B. Virgini die ac nocte in magna affectione corporis sui; migrauit ex hac vita mortali, anno Domini 1231. Dominica post annunciationem; oppressus nimirū ruina maceriæ veteris structuræ, sicque quasi martir innocentem Deo tradidit spiritum. Erutus tamen ex ruderibus, repertus est in manibus pedibusque, necnon & dextro latere habere aperta stigmata vulnerum Christi, quod tamen toto vitæ tempore mortalium nemini indicauerat. Hęc accepta fuerunt ex Carthusia Coloniensi.

Hic inuiti finem facimus percensendis religiosis illis pijsque patribus, qui ex prædicatorum ordine, magna olim in Belgio sanctitate enituerunt; nunc verò, mercedem à Deo consecuti, iucundissima sempiternæ fælicitatis gaudia ter & amplius beati possident. Confidimus futurum aliquando per Dei gratiam, vt alij plura & illustriora de hoc argumento (quod quidem nobis negatum est) in publicam lucem producant, & (quod vehementer optamus) integros rerum à Dominicanis in Belgio gestarum annales conscribant: ad maiorem Dei gloriam, qui cum vniuersa admirabili prouidentia administret,

nistret, singularia sanè in Dominicanam religionem, & rara prorsus beneficia contulit; Beatissima imprimis Virgine Maria assiduis precibus filium & per filium Patrem pro instituto à se ordine interpellante.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

Memorabilia quædam ordinem Prædicatorum in Belgio spectantia.



Ontigere Præterea olim in Belgio res quędam memorabiles quæ Dominicanorum sanctitatem, insignemque ab ijs præstitam patriæ operam commendant. Quocirca illas hoc loco reponere lubet vt Deus ante omnia laudetur, &, ne si eas omiserimus, instituto nostro defuisse videamur.

§. I.

B. Iordanus post mortem apparuit B. Lutgardi in Brabantia.

FLoruit in Belgio initio sæculi decimi tertij, primum quidem in Hasbania, in monasterio S. Catharinæ iuxta Trudi-

nopolim

nopolim, postea vero in Aquiria Cisterciensis ordinis cœnobio, Sanctissima Virgo Lutgardis, omni virtutum genere excellens, admirandisque prodigijs clarissima, Illa singulari affectu ordinem Prædicatorum prosequebatur, tum ob eximiam virorum illius sanctitatem, tum quod Deiparæ monitu in illum ipsum finem assiduis precibus ieiunijsque incumberet, ob quem sanctissimus clarissimusque ille ordo, eiusdem Dei genitricis instinctu consilioque institutus erat. Etenim compertum est, Beatissimum Dominicum, cum Albigensium hæresim, Deiparæ inimicam, concionibus, scriptis, disputationibus tum publicis tum priuatis, incredibili vitæ austeritate, ingentibus etiam patratis miraculis per annos plures, profligasset; excitatum diuinitus, sacram eruditorum piorumque virorum sodalitatem seu ordinem instituisse: qui impiam illam hæresim, cæterasque quæ deinceps quouis tempore Dei ecclesiam infestaturæ essent, verè Apostolico Euangelij prædicandi munere conuellerent, fideique tuendæ caussa vitam ipsam profunderent. Quod (Deo gloria) hactenus egregiè ac summa cum laude à Dominicanis præstitum est.

Porro Lutgardi, anno 1207; eo scilicet tempore quo potissimum aduersus Albigenses certabat Dominicus, apparuit Deipara,

 & multa

& multa de hæreticorum nequitijs conquesta, iussit, vt precibus sanctisque exercitijs ac præsertim continuo septem annorum ieiunio, extinguendis illius temporis erroribus, omnem adhiberet operam. Referunt id Surius tom. 3. die 16. Iunij ex Cantipratano qui præfatę virginis vitam tribus libris conscripsit. Hinc igitur B. Lutgardi magna cum Dominicanis fuit necessitudo; vtpote quę, Dei genitricis iussu, illis subsidio esset in sęuissima illa peste profliganda. Quocirca plures ex B. Dominici ordine illi familiares fuerũt. Ex his B. Iordanus Saxo, vir longè sanctissimus, totiusque ordinis proximè à B. Dominici obitu Generalis (cuius vitam vide apud Surium tomo 7.) non semel eam visit: atque ab illa obtinuit, vt cæteris precibus quas pro Prædicatorum ordine ad Deum fundebat, adijceret psalmum 66. cum oratione de spiritu S. Is vero fidei zelo postea in Syriã cum aliquot sui ordinis religiosis profectus, iuxta Ptolemaidem naufragium passus est; cuius obitum, cadauere, suauissimo odore perfuso, & sæpius demissa è cœlo super eo in aquis luce, illustrem fecit Deus. Paulò autem post beati viri mortem, contigit, Lutgardem animo grauiter afflictari, ipso Natiuitatis Christi priuigilio, quod inter orandum, solitam deuotionis flammam non persentiret, & cor eius consueta dulcedine nõ perfunderetur;

sed

ſed in Dei dilectione, elanguiſſe aut certè (quod ſanctiſſimo cuique interdū accidit) non ſatis effefueſcere videretur. In hac animi anxietate, quâ, Dei miſericordiam magnis ſuſpirijs implorabat, vtque eam obtineret ſanctorum omnium patrocinium ardenter poſtulabat; ex omnibus, affuit ei B. Iordanus (quem quidem obijſſe Lutgardis ignorabat) ſolatium attulit, omnique mœrore depulſo diuini amoris quos illa cupiebat igniculos ei impetrauit, illamque vltro citroque habito de rebus diuinis colloquio mirificè recreauit. Rem his verbis narrat Gerardus Lemouicenſis lib. de vitiſfratrum p. 3. cap. 40. *Eo tempore fuit in Brabantiæ partibus in Aquiria monaſterio Ciſtercienſis ordinis, ſanctimonialis quædam virgo grandæua nomine Lutgardis, per quam Dominus multa miracula fecit in vita, & etiam poſt obitum eius. Hæc B. Patri Iordano valde nota extitit, & deuota. Huic cum quadraginta annis in ſanctimonialis habitu Domino deſeruiſſet, iamque præ ſenio non videret & lacrymis; in ipſa vigilia natiuitatis Chriſti, B. Pater apparuit in hunc modum. Cùm enim ipſa ab hora diei prima vſque ad ſextam oraſſet, nec ſolitam deuotionem ſentiret, tædere cæpit, & in hæc verba prorupit. Bone Domine quid hæc patior? certè ſi aliquem amicum, in cælo vel in terra qui pro me nunc oraret haberē, talem cordis duritiam non ſentirem. Hæc illa cum lacrymis dicente; ſubito ante mentis eius oculos frater quidam*

dam tam lucidus tam gloriosus apparuit, quod eum præ claritatis magnitudine, non agnouit. Vnde stupescens dixit. quis es Domine? & ille. ego sum frater Iordanus quondam magister ord. Prædicatorum; ego de hoc sæculo ad gloriam transiui, & inter Apostolorum & prophetarum choros sublimatus sum, & missus sum ad te, vt te in festo isto gratissimo consolarer. Tu ergo iam secura esto, quia in proximo est vt à Dno coroneris. Psalmum vero Deus misereatur nostri *cum collecta de spiritu sancto, quæ me rogante pro ordine nostro dicere promisisti, vsq; in finē tuū, dicere nō omittas, Post hæc disparuit, eā in tāta consolatione, quantū nunquā habuerat, derelinquens.* Idē cōmemorat Surius in vita B. Lutgardis.

§. II.

Miracula Virtute Rosarij & sacrarum reliquiarum in Belgio edita.

CVm Deus gloriosus Rosarij precibus imploratus, immunera & admiranda prorsus vniuerso orbi contulerit beneficia; haud dubium est, pium illud precandi institutum per Dominicanos propagatum & illustratum, fuisse quoque Belgio maximè salutare, pluraque per illud miracula in eo patrata fuisse. Pauca quidem nobis cognita referimus, sed longè maxima.

Primum est. Harlemi vbi olim ord. Præd. cœnobium viris sanctitate clarissimis celebre fuit, floruitque Rosarij amor & sodalitas; anno 1478. puer nouennis incaute in altum flumen

flumen decidit, & sub aquis interijt. Parentes funesti euentus conscij, agere quod parentum fuit, filij exitium lamentari, domum, vicos, ripam ipsam fluminis eiulatu complere, lacrymari, & cętera maximi doloris argumenta prodere cœperũt. Et vero inter questus & suspiria in mentem venit Rosarium, Rosarium quod à Dominicanis mirificè laudatum, & pluribus miraculis illustre, illi non tantum colebant, verum etiam cum affectu sæpissimè recitabant: spem concipiunt neç vanam; Dei genitricis opem implorant, per Rosarij amorem eam obtestantur, vt in repentino & funesto filij exitio afflictis succurrat, & ademptam carissimo puero vitam, solita in sui Rosarij sodales benignitate restituat. Audiuit & adfuit virgo, & puer qui ex aquis extractus, palam mortuus fuerat, ad parentum vota palam reuixit.

2. In Gallica Brabantia (pagi aut loci non meminit Iodocus Beyssel ius huius & præcedentis miraculi scriptor) presbyter fuit Rosarij cultor & sodalis. Is graui morbo pressus; dolorum quibus miserè cruciabatur impatiens, exitium sibi per insaniam adferre voluit, & pessimo illo, Diaboli sanè, consilio vsus, cultro sibi vitam ademit. Porro dum cruor efflueret & prioribus malis extremum illud vulnus accessisset, mentem ad seriam de æterna saltem miseria auer-

auertenda cogitationem cõmutauit. Quid ageret rebus ita penè desperatis? Rosarium arripit, misericordiæ matrem inclamat, vitæ iam iam abituræ inducias fidenter rogat, donec commissum scelus lacrymis & sacra exomologesi expiaret. Illi quoque benigna fuit Deipara, & vitam, quousque aduocatus sacerdos alius aduenisset, & diuina sacramenta contulisset, insigni miraculo prorogauit.

3. Lugduni Batauorũ adolescens annorũ duodeuiginti, sępissimè sacerdoti confessus, crimen vnũ quod nefandi nominis esset, prę pudore nunquam aperuit miseroque illo in statu frequenter corporis & sanguinis Christi sacramentum suscepit, *iudicium sibi manducans & bibens, non diiudicans Corpus Domini.* Audijt vero is aliquando Conrardum quendam Dominicanum virum prædicandi laude celebrem, ea in vrbe de admirãda Rosarij Mariani virtute multa atque egregia pro concione disserentem; illudque inter plurima affirmantem, Rosarij cultores, singulari Virginis Deiparæ patrocinio, in concipienda seria de admissis peccatis contritione, & recta de ijs exomologesi facienda maximopere adiuuari. Audijt, credidit, Deiparæ clientem se vouit, Rosarij sodalis cõscriptus est: & ecce dum illud orat, aspirauit diuinæ gratiæ meridianus Auster, & fugato Aquilone quo hominum corda miserè obrigescunt;

gescunt, fluxerunt lacrymæ; &, mirum dictu, tantus adolescentem inuasit ardor, sceleris quod eatenus siluerat, confitẽdi: vt nulli negotio incumbere potuerit, imo nec somnum capere, donec latentem lepram, & omnem prioris vitæ impuritatem sacerdoti deuotè exponeret. Quo facto, eum deinceps in beatissimę virginis clientela, & recitandi psalterij studio illi maximè salutari, vixisse, narrat P. Albertus Venetus S. T. Professor lib. de miraculis Rosarij.

His illud annumerandum est, quod supra cap. 19. pag. 125. de muliere Antuerpiana retulimus. Vt enim funestissimum illi erat dæmoni se deuouisse, horrendumque illud pactum (quod illa fecerat) proprio sanguine firmasse; ita maximum beneficium fuit, Dei genitricis precibus, sacrique eius Rosarij virtute, à diaboli potestate, recuperato etiam chirographo, emancipatã fuisse. Sed prorsus illustre est, quod subnecto.

Anno Domini 1475. eo ipso die quo B. Alanus de Rupe in Hollandia obijt, scilicet festo natiuitatis B. Mariæ Virginis; Venerabilis Pater Iacobus Sprēgherus ord. Pręd. S. T. professor, & Cœnobij Coloniensis Prior, Deiparæ monitu, ea in vrbe Rosarij sodalitium magna cum celebritate instituit, Officiarios creauit & innumera promiscui sexus nomina albo clientelari Beatissimæ Virginis inscri-

inſcripſit. Eam vero ſodalitatem, quæ ſcilicet Coloniæ tunc renouata fuit, adeo venerata eſt Germania tota, vt Cæſares, Archiduces, Principes tum eccleſiaſtici tũ ſæculares, Reſpublicæ, ciuitates, communitates, regiones, ſũno ardore in eã admitti expetierint. Qua in re, vt aliena omittamus, nõ defuit Belgiũ Dominicanorũ ad id cõcionibus excitatum. Etenim ex M. S. Codice vnius dũtaxat præfatæ ſodalitatis Colonienſis, conſtat plurima millia Belgarum ſua nomina Coloniam ad Prædicatores libro Roſarij inſcribenda, trãſmiſiſſe. Quæ ſpatio quadriẽnij, videlicet ab anno ſupra cõmemorato vſque ad 79. ex Belgio miſſa fuere, ex obſeruatione prægrãdis illius M. S. codicis, breuiter refero.

Ex Brabantia miſſa fuerunt nomina 1424. folio 306.

Ex Zelandia 402.	fol. 401.
Ex Louanio ſupra 400.	fol. 253.
Ex Brabantia rurſum 1862.	fol. 267.
Ex Hollandia ſupra 1200.	fol. 279.
Ex Zutphania viciniſque locis. 4000	o.f. 278.
Ex Geldria circiter 4000.	fol. 279.
2. Ex Zelandia 320. fol. 485. alias. ſupra 200. fol. 488. alias. 1577. fol. 494. & iterum 1197.	fol. 493.
3. Ex Brabantia, 3056.	fol. 506.
Roterodano 2200.	fol. 454.
Traiecto 1724.	fol. 456.

Iterum

Iterum ex Hollandia & Zelandia.830.f.462.
Ex Bruxella 200. fol. 469.
Ex Frisiâ supra 2900. fol. 472.

Plura omittimus; & omnia illa quidem de vnica Coloniæ restituta sodalitate. Porro innumerabiles postmodū sacro Rosarij instituto sese addixerunt, quando per Belgicā ipsam plurimæ illius sodalitates erectæ fuerunt; & nostra adhuc ætate, maximo optimorum Episcoporū gaudio ac fauore, sacra Rosarij deuotio, Dominicanorū opera, propagatur. Quare planè confidimus, plura à Deo beneficia, salutari illo precandi ritu, Belgio collata esse: & vt plura calamitoso hoc sæculo accedant, ex affectu precamur.

Celebre etiā in suburbio Attrebatensi accidisse miraculum, per sacras B. Petri martyris ordinis Præd. reliquias, commemorat P. Gerardus Lemouicensis lib. de vitis fratrum p. 5. cap. 1. in hæc verba. *In ciuitate Attrebatensi iuxta domū fratrū Prædicatorū, mercatores & venditores lignorum habuerunt locum ad conseruationem lignorum venalium deputatum. Vbi cum esset maxima cōgeries lignorum quæ valebat mille libras Parisienses, ignis dictis lignis appositus est: & ex ipsis flamma vehemens exiuit. Ventus etiam flammas in ecclesiam & domum fratrum impellebat intantum quod crucem quæ erat in capite Ecclesiæ accenderat, & iam fratres non sperabant, quod domus eorum posset ab incendio modo aliquo liberari.*

frater

frater autem Bartholomæus quidam conuersus reliquias B. Petri martyris ad quandam fenestram dormitorij, pro clypeo salutis opposuit flammis: & in ipsa appositione ventus contra flans, flammas in latus aliud ita fortiter repulit, quod domus penitus illæsa remansit; excepta illa accensione crucis, quæ ante appositionem reliquiarum fuit facta. Hoc ipse frater Bartholomæus mihi narrauit, sub multo testimonio fratrum qui hoc viderunt. Hactenus vetustus ille rerum Dominicani ordinis scriptor.

§. III.

Inquisitio memorabilis facta in Hæreticos, Duaci, Attrebati & Cameraci per Robertum quendam Dominicanum ante annos 380.

INter illustria ordinis Prædi. munera & officia, illud nō postremum obtinet, quod cum ad Orthodoxam fidem propagandam, profligandas hæreses, communemque omnium salutem sit institutus; insignem in confutandis conuellendisque hęresibus, semper nauauit operā. Quo in munere verè apostolico, Dominicani sæpius Romanorum Pontificum auctoritate subnixi, impios errorum assertores non solum concionibus perstrinxerunt. disputationibus & scriptis deiecerunt; Verum etiam brachium seculare induxerunt vt illi vel exilio mulctarent, vel morte dam-

damnarent, Florentem Christianæ ſegetis agrum per orbem indefeſſè luſtrantes, ac ſolicite curantes ne ſubmiſſæ à diabolo vulpes funeſto incendio cuncta abſumerent; ne cariſſimas myſtico Agno, animarum ac virtutum caulas, lupi inuaderent. Eorum profecto induſtriâ, peruigilique labore, plures extinctas hæreſes, diſciſſa ſchiſmata, regnis, prouincijſque eliminatos errores, loquuntur publicæ orbis tabulæ, & produnt ſacri rerum eccleſiaſticarũ ſcriptores. Porro & in Belgio malum fuit, & ex Albigenſium incendio, multæ hìc olim ſtricturæ. Non defuerunt quidem diligentes ex Eccleſiaſtico ſtatu operarij qui in Belgica Chriſti vinea non ſegniter laborarunt: ſed præclaram ſupra alios ea in re præſtitit operam F. Robertus quidam ex Ordine Præd. qui poſtea à Gregorio 9. Pontifice Maximo per vniuerſum Galliarum regnum aduerſus hæreticos Generalis Inquiſitor an. 1238. Põtificatus 9. 10. calendas Septembris renunciatus, omnes illius regni Prouincias peragrauit, atque pro commiſſo ſibi munere, in ſanctæ fidei propoſito confirmauit, hereticis plurimis ſupplicio affectis. Is in Gallicas Belgij partes prius eiuſdem Pontificis iuſſu venerat, à ſcelerata eas hęreſi purgaturus. Ibi enim hæretici quidam Albigenſium ſeu ſimilium apoſtatarum aſſeclæ fuerunt, quos
non-

nōnulli Sodomiticos appellarūt, vt testatur Maierus in Annalibus Fland. anno 1236. F. Robertus, quorundā Episcoporum quos cum eo congredi iusserat Pontifex societateatque auctoritate instructus, Principum etiam præsentia & patrocinio munitus, eorum plures in Flandria, Attrebatesio & Cameracesio, flammis è medio sustulit, cuius rei quod ad Duacenses attinet hæc in insignis Ecclesię S. Amati libro, quē argenteum vulgo dicunt, scripta reperi. *Hac die combusti fuerunt apud Duacum, decem hæretici extra portam Oliueti, in via leprosorum, quæ via iter dirigit apud Lambres,* (nomen portæ nunc exoletum est, apparet fuisse S. Eligij.) *præsentibus venerabilibus Dei gratia Archiepiscopo Remensi, Asseue Episcopo Attrebatensi, VValtero Episcopo Tornacensi, & fratre Roberto ordinis fratrum Præd. tunc temporis habente potestatem à Domino Papa capiendi hæreticos de consensu Episcoporum prædictorum: & præsente Ioanna Comitissa Flandriæ, & Hannoniæ, ab incarnatione Domini 1235. 2. die mensis Martij quæ dies fuit Dominica Quinquagesima.* Quod ad Cameracesium attinet, rem memorabilem accidisse, etsi nec Robertum nec annum nominet, sed cōmuni tantum nomine fratres Prædicatores, refert Cantipratanus lib. 2. de apibus c. 57. p. 68. his verbis. Audi & de alio obsesso mirum Dei iudicium. *Erat circa Cameracum ciuitatem quidam*

hæreticus

hæreticus, astutus valde, qui metuens inquiri & cõburi à fratribus Prædicatoribus, qui in dicta ciuitate eo tẽporeplurimos cõburebãt, finxit se arreptũ à dæmone; & ob hoc ad S. Aichadrũ in Aspera, obsessos curare potentẽ, ligatus ab amicis deductus est; Vt in eo nõ hæresim propalatã sed furiã reputarent. Et, vt audiuit quidam clericus obsessus a dæmone, & ligatus, quod Ægidius Boogris (sic enim vocabatur) ligatus poneretur in loco, subsequenti nocte idẽ obsessus clericus, diuino nutu solutus est. Et aggregans mattas & stramina, atque Ecclesiæ scãna, super ligatum hæreticum cumulauit. Ludum autem & furiam credens ille, dissimulat quoadusque clericus ignem de lampade sumẽs, cõburere cumulũ cæpit, & tũc hæreticus exclamauit. Ad cuius vocẽ expergefacti custodes, cũ ignem extinguere niterentur; clericus arrepto gladio, quem casu iuxta lectum inuenit, omnes violẽter abegit, & hæreticum in igne combussit. Nec mora, Diuino exacto iudicio, clericus à dæmone liberatus & plenè sospes apparuit.

Porro præfatus P. Robertus dũ postea in Tholosatiũ partibus fęliciter cum hæreticis depugnaret, magnaq; sanctitate & eruditione fidẽ adstrueret, anno *1242*. quo Põtius Hispanus Ord. item Pręd. hęreticorũ quoque cẽsor apud Vrgellã Chatalonię vrbẽ veneno est interẽptus; cũ alijs quinque eiusdẽ instituti religiosis, iussu Comitis Tholosani, capite plexus est, vt inter alios testatur Bzouius Annal. Eccles. to. *13*. ad an. *1242*. Eius aliorũq; martyrium

martyrium celeberrimo & admirando prodigio illustrauit Deus . Etenim à supplicij loco Tholosæ suburbano, in ipsam vrbem, atque in Dominicanorum ædem publico eos prçeunte lumine, proprijs manibus resecta capita reportarunt: pari sane miraculo, quo maximus ille Areopagita Galliarum Apostolus Dionysius iuxta Luteriam, & sanctissimus Proculus Bononiæ, quas pro Christo securi submiserant ceruices, in partem triumphi, ad destinatum diuinitus locum, detulerunt. Hic cogita Belgiũ quo Robertus ille zelo sanctoque pietatis ardore per mille pericula tibi consulturus venit, Sãctissimo Martyri gratias age, & vt omnes à te erroris nebulas, suis apud Deum meritis discutiat, assidue roga.

§. IIII.

Decanus in Flandria ad ordinem Prædicatorum cælesti reuelatione adductus.

PAucis hic quod de Decano quodam in Flandria tradit Gerardus Lemouicensis lib. vitasfr. p.4. c. 13. Eius verba adferre lubet. *Decanus quidam de flandria monebatur sæpe à quodam antiquo Prædicatore Fratre, quod secularibus pompis renuncians, nostrum Ordinem intraret. Sed ille timens quod cibis aridis vti non posset:*

cum

cum diu delicate vixiſſet; item quod pedes ire non poſſet, quia corpulentus erat, nec ſine equo dimidium miliare ire valebat; ab Ordinis retrahebatur ingreſſu. Cum igitur ſuper ijs fluctuans frequenter ad Dominum clamaret: vidit in ſomnis menſam cum albis panibus ante ſe poſitam, & dicebatur ſibi quod bene talibus vti poſſet. Videbatur item ſibi quod fratrum chorum intrabat. Vbi omnes erant in albis: & quilibet dabat ei vnam pixidem cum aromaticis ſpeciebus. Videbatur ei etiam alia nocte quod iter quoddam erat facturus per maximas niues, & cum timeret multum, videbat in medio illius magnæ niuis ſemitam quandam rectam & rubetam, & pulcherrimè ſtratam: quibus à Domino commonitus intrauit Ordinem; &, vt ego audiui à fratribus ſui Conuentus; valde potens à Domino factus eſt ad ieiunia & labores itineris, & ad cætera grauia toleranda pro Chriſto. Ipſe autem F. & confeſſor eius qui ipſum ad Ordinem induxerat: ſecreto mihi prædicta omnia narrauerunt.

§. V.

Duæ Henrici 7. Auguſti ſorores in virginali Bellemontano Vallecenis ordinem Prædicatorum profeſſæ.

VAlencenis præclarum eſt virginum inſtituti Dominicani cœnobium, à ſitu loci Bellemontanum quidem vulgo dictum;

nobis verò, melius profecto, à virtutum pulchritudine, à religiosi status raræque pudicitiæ & summæ paupertatis celsitudine, eo nomine appellandum, Quamquam enim nullas ex eo Virgines aut editis miraculis claras, aut diuinis reuelationibus illustres, aut eximijs religiosæ vitæ exemplis admirabiles. nobis commendarit antiquitas; adeo vt præter Mariam quandam Auxtruis, quæ diuturno morbo hac in vita exerceri à Deo postulauit, votique compos quatuordecim continuos annos graui ægritudine, sanguineoque vomitu exhausta, obijt; & Iacobam Bertoul, quæ carnem assiduis verberibus, ad annum etiam suę ætatis quintum supra centesimum, afflixit; antea nulla ægregię sanctitatis monumenta, viderimus: magnam tamen atque excellentem plurium eo in loco Christi sponsarum virtutem fuisse, non ambigimus, dum principum ac regum seu filias, seu agnatas plures, contemptis mundi illecebris, illibatam virginitatem ibi coluisse; luxui, auro, honoribus cæterisque malorum irritamentis, pauperem vitam (siquidem non in opulento monasterio, sed paupere & ad religiosam mendicitatem cõdito) prætulisse, magna sane animi iocunditate meminimus, E pluribus duæ Henrici septimi Augusti germanæ, Sancti Dominici institutum in eo cœnobio complexæ sunt.

Vna

Vna quidem, Fælicitas Luxemburgẽsis,quæ prius Ioanni Louanienſi matrimonio iũcta, ſed ætatis anno vigeſimo ſecundo vidua,ſacri Ordinis habitum ſuſcepit, anno 1328. Altera, Margareta Luxemburgenſis, quę iunior monaſticam vitam profeſſa, illius poſtea loci præfecta (prioriſſam vocant) fuit, vtraque ſingulare virtutis ſpecimen exhibuit, Deique ope, cuius amore cætera reſpuerant,fælici curſu,iuſtorum ac pauperum prę mia, vt credimus, adierunt. Harum mater Beatrix, filia Ioannis primi Comitis Hãnoniæ, Virginalis in quo vixerunt filiæ, prima author fuit, ac fundi illius donatrix; qui priuſquam ob patrię calamitates & bellorum rabiem in anguſtias contraheretur, merito à ſitus amænitate Bellemontanus dictus eſt. Ita ſcilicet illuſtriſſimæ Comitum Luxemburgenſium ſtirpi cœnobium illud,duas in eo Henrici Auguſti ſorores, aliaque plurima beneficia debet.ab illuſtriſſimo quoque ac ſanctiſſimo Dominico Cuſmano fundatus Prædicatorum Ordo.

Quis hic impiam, & auctore Diabolo cuſam calumniam ſilere poteſt, qua Dominicanis æterno opprobrio dignum flagitium, mortem ſcilicet Henrici Cæſaris obiecerũt olim nefarij quidam? Summa criminis eſt, Bernardum quendam Politianum ex ord. Præd. à Florentinis Cęſari offenſis ſubor-

natum pactis quadraginta millibus floreno-
rum, Henrico cui à confeſſionibus erat exi-
tium attuliſſe, cum ipſo aſſumptæ Virginis
Deiparæ feſto, pijſſimo Principi atque ex re-
ligione diuinis myſterijs communicanti ho-
ſtiam veneno delibutam porrexiſſet. Quin
Ioannes quidam Beca alijque nonnulli hi-
ſtorici, Galliarũ & Siciliæ reges imo & Ro-
manum Pontificem Clemẽtem quintum in
partem criminis adducunt, tanquam mi-
ſerrimi illius conſilij auctores. Calumniam
dixi, quæ ſcilicet toto orbe apud bonos æ-
quoſque arbitros iam pridem laruam poſuit,
vt hoc loco, nullis Dominicanæ innocentiæ
vindicijs opus ſit; Mornæus quidem impius
noſtri temporis hæreticus ordinem Præd.
Denuo illius falſi criminis obiectu accuſauit
in lib. quem myſterium iniquitatis inſcripſit:
ſed accuſandi iure caret, qui iniquitatis my-
ſteria cudit, Aduerſus repentinum illum ex
Caluini ſchola Theologum, ex omnium
temporum mendacijs hiſtoricum; Domini
canorũ cauſſæ in publico Lutetiæ atque or-
bis theatro patrocinatus eſt, Nicolaus Coeſ-
feteau tunc quidem ord. Præd. S. T. profeſ-
ſor, regiuſque Eccleſiaſtes, nunc vero Dar-
daniæ Epiſcopus, in lib. reſponſionum ad
mendacia Mornæi. Scripſerunt pro eiuſdem
rei veritate, Trithemius in chronico ad an-
num 1313. Villanus hiſtoriæ ſuæ lib. 9. cap. 5.

& P.

& P. Fronto Duçeus ex societ. Iesu vir eruditissimus, in suo Inuentario. Nos quoque ante annos tres in Academia Duacensi in Quodlibeticis vt vocant, labem illam publica oratione detersimus.

VOTVM,

Mementote Fratres quomodo salui facti sunt Patres nostri. Imitatores illorum simus, sicut & illi Christi. Præiuerunt, & præluxerunt; quisquis eiusdem instituti es,

Tu longè sequere & vestigia semper adora.

Ita voueo: ita donet Deus: ita adiuuent atque auxilientur sancti illi, communisq; eorum ac noster parens DOMINICVS; & imprimis quæ Dominicanæ Religionis prima author extitit, ac deinceps promotrix atque mater benignissima, asylum, tutela, gloria, corona, honor: MARIA DEIPARA. Fiat. *Amen.*

FINIS.



